[illegible]

PHILIPPI CAULINI

NEAPOLITANI

PROGYMNASMA

De Veterum JCtorum Philosophia

Ad L. 10. §. 2. D. de Just. & Jur.

NEAPOLI MDCCLXXIX.

TYPIS JOSEPHI CAMPI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Non ergo a Prætoris Edicto, ut plerique nunc, neque a XII. Tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima Philosophia hauriendam juris disciplinam putas.

Cicero de LL. I.

FERDINANDO DE LEON

PRO OPTIMIS INGENI DOTIBVS
AC STVDIO LEGVM SINGVLARI
IN NEAP. REGNI PROVINCIIS
IVRE DICVNDO DICTANDOVE
PRAETORIA AVCTORITATE
PERINSIGNI.
HINC IN AMPLISSIMVM XXIIII COLLEGIVM
COOPTATO.
IN SVMMARVM RATIONVM CAMERAM
PRO FISCO TVTANDO
IVRE OPTIMO DELECTO.
VEL IN REGIA SCIENTIARVM ACADEMIA
PRO MODERATORE
PRIMAS GERENTI.
EX DIVTINO SCIENTIARVM CVRRICVLO
AD AMPLIORA MVNIA
PROPERANTI.
PHILIPPVS CAVLINI NEAP.
PRINCIPIA PHILOSOPHIAE VETERVM ISCTORVM
EX VOTO D.

PRÆFATIO

SApientiam ipſam eſse felicitatem; felicitatem vero poſtremum omnium finem, univerſi ipſius naturæ voce confitentur. Animi namque tranquillitas quæ ab humana beatitate nil diſtat, in affectionum optima moderatione unice locatur. Noſtri autem affectus quibus ex humana natura obruimur, unius veritatis contemplatione, quam merito bonorum omnium ducem Plato appellabat (1), cohiberi poſſunt atque profligari. At Veritates omnia reſpiciunt: quædam res Incorporeas: quædam Incorporeas relate ad Corporeas; aliæ denique Corporeas tantum: Quæ circa primas verſantur eæ noſtram excedunt mentem, & niſi alicujus prin-

 ci-

(1) *De Leg. V.*

cipii ope , vel innati vel observatione comperti, minime illarum, quam licet, ideam comparabimus. Aliæ interioris conscientiæ inquisitione manifestantur. Aliæ denique Corporearum rerum observatione deteguntur. Horum itaque omnium quæ Deum, Mentem nostram, quantum fas est, patefaciunt, ea veluti origines atque principia habenda sunt: quæ curiosas inquisitiones respiciunt, non omnino negligenda: Quæ denique nostrum animum relate ad corpus (quod universarum affectionum subjectum existit) spectant, ea plane investiganda. Scientia igitur quæ de moribus instituendis, de animi perturbationibus, ejusque remediis, denique de optima vitæ ratione capessenda agit, qualem bonum virum decet, ea præ cæteris amplectenda, excolenda. At cum Homo mature quidem in Societates ad vitam beatius transigendam confluxisset (uti ex Humana historia habemus), Legem illam æternam, unde morum disciplina promanat, aliquantisper immutavit, & certas sanxit regu-

regulas quibus in artificiali Natura viveret: Hæ sunt Leges Civiles, Imperantium statuta, quibus hominum diffidentia ingenia componuntur, & pax Societatis servatur. Quid igitur in terris esset optabilius quam eam sortiri Patriam quæ litteras, literatosque viros honore prosequatur; atque adeo Cives uno animo unaque consensione perpetuam sibi felicitatem pariant. Quod quam bene nostræ Civitati conveniat, nemo est qui dubitet. Atque in ea quidem si multa magnifica licebit memorare, non modo in Naturali Scientia, Mechanica, Medicina, præclara inveniemus, sed longe plura, eaque præstantiora in Civili Sapientia peculiari quodam jure vindicabimus. Post renatas namque litteras, summi ingenii Viri, hujus Civitatis decora, conquisitis undique, ac plerumque e novo eductis quæ ad optimum jurisconsultum pertinerent, & Academiæ, & Fori præclara lumina extitere: & in illa quidem si non quales Papinianus, Ulpianus, saltem Tribonianus se gessere,

in eo vero quales Cicero, Craſſus; dum & rerum delectu, copia, ac momentis Civium vitam, fortunaſque tutarentur.

At ea eſt rerum humanarum conditio ut etſi optime inceperint, nunquam tamen ita ad extremum uſque perdurent, & minime ſuas quæque viciſſitudines, fata ſubeant. Et juriſprudentiam quidem cum primi illi Irnerius aliique e profundo obſcuritatis excuſſiſſent, illotiſſimis, ut tempus ferebat, manibus contaminarunt, atque Deam illam pulcherrimam horribili Satyro commutarunt. Verum illuceſcente paullatim die, in opem evocatis iis quæ veluti Scientiæ fulcimenta haberi debent, illa ſe ſe explicavit, atque ad germanam vetuſtatis imaginem ſe reſtituit. At modum in rebus ſervare arduum quidem eſt. Quare nimia illarum quoque rerum quæ ornamento eſſent, cupido animos inceſſit, & gliſcente in dies novarum rerum ſtudio, factum eſt ut ſolida illa Antiquitatis Sapientia mollis enervataque evaſerit. Et cum noſtris tem-

temporibus quæ primitus Sapientia anguſtis detineretur cancellis, eos egreſſa, in vulgus ſe prodiderit, factum ut in juriſprudentia maxima pars noſtrorum novam ſequatur viam, quam ſolidiorem brevioremque nactos arbitrantur. Quo fit ut majorum noſtrorum, quos ſupra memoravi, gloriam, neque per nos producere, neque ſartam tectamque ſervare valeamus. Quod ut clarius pateſcat, juvabit rem altius repetere.

Veteres Romanorum Patricii quibus Reipublicæ fortuna eſſet concredita, veluti totidem Oracula Sapientiam Civibus miniſtrabant. Libera namque adhuc Republica, Deorum religio quam a Regibus uſque inculcatam acceperant, eos ex nobiliori principio ad virtutem ducebat & ad veritatem quam fortiſſime alligabat. Patriæ pietas, ex qua Rempublicam omnibus privatis rebus habebant potiorem, cum ipſius Reipublicæ uſu conjuncta, Politices eruditionem penſabat: denique animi altitudo, ad quam moribus erigebantur pro morali do-

ſtrina erat ad virtutis conſtantiam comparandam. Illi itaque & contractibus, & teſtamentis, & litibus præſto erant, vel cavendo, vel dictando, vel arbitrio ſuo componendo. Quam ob cauſſam aut domi ſedentes excipiebant conſultores, aut ambulantes tranſverſo foro conſilii ſui copiam faciebant. Oratoribus quoque legum ſententias miniſtrabant, qui vel civium bona tuerentur, vel bella, leges ferendas populo ſuadebant vel contra. Porro ſi ambiguitas juris occurriſſet, ſimul conveniebant, & diſputantes occultam legum vim exprimebant, tradebantque populo: ex quo ortum eſt jus illud quod ſine ſcripto veniens, tacito, ac illiterato hominum conſenſu, uti recte Gellius, receptum fuit.

At collapſa Romana majeſtate una cum Imperio, atque uſu recepta illa juriſprudentia; o bone Deus! quam multa opus eſſent ut nos ad veterem illorum prudentiam poſſemus effingere; quam porro multa & gravia quæ nos ab illa optime acquirenda omnino praepediunt. Comparanda namque eſſet accu-

accuratior linguarum, Antiquitatis, elegantiorum litterarum notitia; percurrendi mores majorum: addiscenda ars illa veritates ex abdito eruendi: investiganda lex illa æterna quam non legimus sed natura accepimus: philosophorum deinde de virtute præcepta percurrenda: comparanda denique illa prudentia, qua præter leges, Civitates gubernantur. Præterea cum eo tempore privatus quisque rempublicam consultaret, illud unum agebant, ne Civium libertas, populi Rom. magnitudo quid detrimenti caperet, neve quid præter morem majorum fieret. Itaque justi, injustique fontes cuique erant in propatulo; lites, discordias non a veritate alienus animus fovebat; denique jus bonumque non legibus magis (saltem primis Reip. temporibus) quam natura valebat (1). Porro privata utilitas quæ hominum animos mire fingit atque lacessat, ab illis erat alienissima; immo ne quid acciperent lege erat cautum. Quare fa-

(1) *Sallust. bell. Catil. in procem.*

ctum ut immutatis prorſus omnibus, neque Interpretes qui juriſconſultis, neque Forenſes qui Oratoribus ſucceſſere, ſint cum iis ullo modo comparandi. Interpretes in JCtorum fragmentis, Imperatorum reſcriptis enucleandis; Forenſes in legum ſententias factis applicando, verſantur.

Et veteres quidem Interpretes ab Irnerio ad Alciatum uſque, tamquam illuni nocte per immenſum juriſprudentiæ pelagus vagati ſunt. Irnerius namque, qui primum ſcholam aperuit, e variis codicibus ſimul collatis, ſparſa juris membra collegit, diſcipuloſque multos eduxit: Floruit deinde Azo Bononienſis, e cujus ſchola prodidit Franciſcus Accurſius: Emerſit deinde Bartolus, ejuſque diſcipulus præceptori non impar Baldus: uſque dum in lucem prodidit Andreas Alciatus, qui juriſprudentiam in primæva elegantia collocavit. Ab Irnerio itaque ad Alciatum uſque, a quo juriſprudentia Cujaciana duxit initium, hyems quodammodo juriſprudentiæ fuit; adhuc enim barbarie premebatur, carebat-

rebatque pura illa luce veteris eruditionis, ſinuoſiſque ſubtilitatibus ex Arabicæ Philoſophiæ Scholis a Bartolo maxime ad ſtudium juris traductis, implicabatur, atque deſtituta cognata ſibi latinitate & eruditione, aptoque miniſterio privata, evolvere ſe neſciebat; unde rigebat tamquam ſi hyeme cohorruiſſet.

Evocatis itaque Scientiæ præſidiis, magni Cujacii Schola emerſit, quæ optima cenſenda eſt. At complures linguarum, Antiquitatis, Critices deliciis capti, juriſprudentiam feſtivioribus hiſce litteris, rebuſque elegantioribus totam occuparunt. Quare in eo ſunt omnino, ut inquirant de latinitate dictionum; cujus generis ſint quædam voces; quænam juriſconſulti patria; Porro leges figunt, refiguntque; modo ſyllabam ejiciunt, modo ejectam reſtituunt: quare ita jus exagitant, ut nihil propemodum relinquant integrum, illibatum. Præterea antinomias venantur, Triboniani emblemata, imperiti Interpretis gloſsemata; ita tamen ut ſi in verba paullo obſcuriora

inci-

inciderint, statim antinomias detexisse putent, ut de Budæo Cujacius (1); atque ita potius peccata fingunt, quam reperiunt.

Hæ summæ Semidoctorum Interpretum Classes: modò Forensium percurramus. Hi sunt qui omnem omnino prudentiam cancellis illis forensibus circumscriptam esse putant, & in aliorum fortunis tuendis quæstuosum officium profitentur. Hi potius Pragmaticis, & Romanorum Formulariis essent conferendi, quorum copia post secundum bellum Punicum maxime cœpit laborari; eosque pingit more suo Plautus (2), & belle carpit Juvenalis:

Post finem Autumni mediæ de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe puer, vigila, caussas age, perlege rubras
Majorum leges . . . . . . (3).

Isti

---

(1) *Tom. IX. in l. 5. C. de cond. indeb.*
(2) *Menæch. Act. 4. Sc. 2.*
(3) *Satyr. XIV. v. 189.*

Isti nullo vel mediocri bonarum litterarum apparatu, ad leges percurrendas se conferunt, Bartolos, Baldos, Accursios, Imolas sexcentosque alios, & tunc se putant summum in hac arte consecutos, cum omnes hujus generis auctores ad rem aliquam evolutarint, & aliquot casuum myriades quos illi ex levi similitudine effinxerint, memoriæ mandarint; quare nisi obvenientem speciem in suo compendio inveniant, quid sentiendum sit, ignorabunt. Alii denique & istud quoque jurisprudentiæ cadaver negligunt, & Leges in Foro exoletas dictitant; quare centenis aliquot decisionum, consiliorum, observationum forensium, opinionum communium contra communes, cautelarum denique, quas vocant, memoriæ infixis, vel in adversaria relatis, ubique rabiosi ac male rauci, ut in tragœdiis legimus, sylvescentem hanc frugem præseferunt. Cum vero, ut ipse Imperator (1), nihil sit inter homines tam indubium, ut non possit susci-

(1) §. *& non fingant Auth. de Tabell.*

ſuſcipere dubitationem ; nihil porro nobis tam naturale quam ex inani gloria vel alia humanitatis infelicitate , ſtudium contradicendi ; fit ut quamplurimæ Opinationes , Deciſiones veluti adverſis frontibus inter ſe pugnent, adeo ut parum ſit ſcire quænam ſit communis opinio , ſi quæ communior ſit ignoretur. Quibus omnibus ſi Fori vafritiem adjungas , tot inter litigatores , ad fortunas evertendas jurgia enaſcentur , ut lepidiſſime & ſcienter nimis vetus ille Auctor ſcripſerit, Pragmaticorum hanc ſobolem veluti *Lernæam hydram , lites de litibus ſerere , mortalibus immortaliter .*

At nova ſe prodidit , eaque nobilior forenſium JCtorum Claſſis , quæ undique accitis philologia , Critica , Hiſtoria , nec non Diplomatum librariis , porro delicatula novorum Scriptorum turba, his ſcriptis arripi poſſe ajunt primæva juris principia , publici præſertim , intimas philoſophiæ moralis eſſentias, Theologiæ, cauſſas Coſmologicas , nec non omnia Scientiarum principia , univerſam denique de humana Voluntate hiſto-

hiſtoriam, quæ omnia recte derivata ſummum efficiunt Jctum. Jactitantes itaque jurisprudentiam veram eſſe encyclopædiam, uti Gul. Budæus (1), Ulpiani de jurisprudentia definitionem tamquam tutiſſimum præſidium advocant, docentis jurisprudentiam eſſe *divinarum atque humanarum rerum notitiam, juſti atque injuſti Scientiam* (2). Ulpianeam definitionem reipſa confirmant, cum jurisprudentia de omnibus in humanis rebus agere debeat, non modo de Divinis, ut monſtrant Tituli Codicis & Novellæ plurimæ: *De Summa Trinitate: De Ss&tis Eccleſiis: De Sanctiſs: Epiſcop: Cler: & Monach: &c.* Verum de rebus omnibus ad hominum commercium comparatis, ut ex Titulis Pandectarum, De re militari; *Ædilitio edicto; de Tritico &c; De Auro & Argento; de Penu; De fundo inſtructo, vel Inſtrumento legato* colligitur, qui omnem prorſus rei bellicæ, forenſis, medicæ, inſtitoriæ, ruſticæ, urbanæ,

(1) *Adnot. in Pand. ad L. 1. ff. de J, et. J, p. 5.*

(2) *L.* 10. §. *ult. ff. de j. & j.*

banæ, fabrilis, veſtiariæ, nauticæ, & unguentariæ Scientiam requirunt. O bone Deus! quale erit Jcti munus: equidem iſti ſimiles erunt Stoicorum Sapienti, quem ſic deridet Horatius,

. . . Sapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit, ſutor tamen eſt
Sapiens . . . .
. . . .
. . . . Sapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex ſolus, ſic Rex. . . . . (1).

Sed hos potius aſſimilabis venditoribus iis inopia deperditis, quorum merces, pannorum fruſtula, nunquam bene dives homo quæritabit; ex quibus ſi veſtem conficias, colorum varietate, vel ruſticum vel e plebecula aliquem in admirationem rapies.

Nec aliter quidem accidit de Philoſophia. Veteres e Schola Philoſophi, nec non Carteſiani ac Gaſſendiſtæ, dictitantes ſe ad Univerſi contemplationem eſſe factos, ad naturam corpoream nunquam acceſſere; deque ea diſputantes, illi ſingulorum phænomenorum

(1) *Serm. L. I. 3. v.* 127.

norum peculiarem caussam assignarunt, quam ignorare fatentes, sub barbaris vocabulorum monstris occultabant; hi hypotheticas prorsus caussas commenti, quae scilicet inter possibiles tantum essent, neque in rerum Natura existerent, ad phœnomeni enodationem protrudebant.

Ab hisce hominum erroribus plurics Viri docti jurisprudentiam vindicare, & de vero Jcto scribere aggressi sunt. Inter tot vero tantosque quod sciam, nemo adhuc bene prius Ulpianeæ definitionis explicatione tradita, hujusmodi doctrinam ab ipsa definitione, tanquam a præcipuo fonte arcessiverit, illudque rectius factum putarim, cum in jurisprudentia definitiones loco Axiomatum sint, ex quibus unice recteque in jure veritates possunt deduci, ideoque *periculosae* dicuntur Jaboleno (1). Ut itaque veram definitionis explicationem tradam, prius priscos Romanorum mores investigabo; quam philosophandi rationem secuti essent; eamque neque Stoicam, neque pecu-

(1) *L.* 202. *ff. de R. J.*

peculiarem ullam adversus Eruditos omnes contendam; sed simplicissimam & ab humano genere primitus usitatam; & Ulpianum denique potius jurisprudentiam descripsisse, dum ejus originem in universa philosophia collocasset, essentiam vero in justo & injusto. Dum autem id conabor, multa præter Romanos e Græcorum moribus proferam: jurisprudentiam deinde duobus columinibus inniti *Lege* & *Ratione* post viros doctos ostendam. *Ratio* est Lex quam de necessitate naturæ, Natura sibi dictavit: *Lex* sive Auctoritas, jubentis voluntas. Homo namque quia ratione distinguitur, ratione est regendus; deinde quia multa occurrunt in rebus humanis quæ legislatorem ad aliquid juxta arbitrium, non omni tamen ratione destitutum, constituendum adducunt, iccirco & *Voluntati* locus erit: Ex quibus mire descendit JCtum & Philosophum & Philologum esse debere; Philosophus ut rerum caussas vestiget, Philologus ut voluntatem cognoscat; ita ut optime affirmare poterimus: *JCtum Philologiam inchoare; Philosophiam vero consummare*.

CAPUT I.

Celebriorum Interpretum ad L. justitia 10. §. ult. *ff.* de *J.* & *J.* *commentationes carptim exponuntur.*

INterpretaturum me adversus Eruditos pene omnes Ulpianum in *L.* 10. §. *ult. ff. de J. & J.*, aliorum sententias in succum redactas oporteret statim exhibuisse. Sed ne qui paullo critici essent, qui me Auctorum sententias vel aliorsum accepisse, vel saltem extenuasse (ut in re nova fieri solet) accusent; ipsa potius constitui Auctorum verba lectori appendere ac numerare, ut integrum sit de re universa judicium.

Verba L. 10. §. *ult. ff. de just. & jur. quae est ex Ulpiani Lib. I. Regularum.*

Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia.

Franciscus Accursius.

Franciscus Accursius ita ad vocem *divinarum*: „ Ut C. de Sum. Trinit.
„ & Fid. Cathol. & De Sacrosanct. Ec-
„ clef. & Ne quid in loc. facr. & in
„ Auth. Quomodo oport. Episc. &
„ De relig. Cler. ad Ord. perduc. &
„ De fanct. Episc. & multis aliis ti-
„ tulis „ Tum ad vocem *notitia*:
„ Sed numquid fecundum hoc opor-
„ tet, quod quicumque vult jurispru-
„ dens, vel jurifconfultus effe, debet
„ Theologiam legere? Refpond. non,
„ nam omnia in corpore juris inve-
„ niuntur, ut C. De Sum. Trinit. &
„ Fid. Cathol. & de Sacrofanct. Ec-
„ clef. & de Epifc. & Cler. & in Au-
„ thent. in multis titul. ubi de divi-
„ nis tractatur.

Ad tit. 1. Instit. princip. hæc habet Oinotomus. „ Quid est jurisprudentia? est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia, vel scientia juris scripti, id est, cognitio illarum notitiarum & præceptorum, quæ docent, quid bonum, æquum & justum sit, & dicitur divinarum rerum notitia, non quatenus Evangelium notitiam divinam tribuit, sed quia illæ notitiæ nobiscum natæ vere sunt res divinæ. Item quia de rebus sacris, religiosis, & sanctis, quoad externam disciplinam tractat: quæ res dicuntur esse juris divini, *l.* 1. *ff. De rer. divis.* „

Antonius Faber.

Antonius Faber in *jurisprud. Papinian.* Tit. I. princip. III. ita de jurisprudentiæ definitione scribit „ Jurisprudentia est Divinarum atque

„ humanarum rerum notitia, justi at-
„ que injusti Scientia, *l. justitia* 10.
„ §. *ult. ff. de justit. & jur.* Legum
„ enim auctoritas illa est, quæ & di-
„ vinas res & humanas bene dispo-
„ nit, ut præfatur Justinianus in §. 1.
„ *Constit. De concept. Digestor. ad Tri-*
„ *bon.* Hujus vero principii ratio hæc
„ est, quod summa juris divisio illa
„ sit, ut aliud sit divinum, aliud
„ humanum, quod utrumque unis Pon-
„ tificibus olim tributum erat, penes
„ quos ideo legum omnium interpre-
„ tandarum scientia esse credebatur,
„ *l.* 2. §. *deinde ex his legibus* 6. *vers.*
„ *omnium tamen ff. de orig. jur.* Ad eos
„ namque de omnibus & divinis &
„ humanis rebus referebatur, ut te-
„ statur M. Tullius Lib. III. de Ora-
„ tore. „

Hadrianus Turnebus.

Hadrianus Turnebus in *Adversar.* Lib. VIII. Cap. 20. „ Cum Ulpianus
„ definit jurisprudentiam rerum divi-
„ narum & humanarum notitia, non-
„ ne

„ ne ambitiose affectat sapientiæ munus & ejus ornamento arti suæ decus quærit; nam sapientia rerum divinarum, atque humanarum cognitio dicitur, & caussarum, quæ res eas efficiunt & continent. Eam Scientiam libenter Philosophis adimeret, suis attribueret Ulpianus: qui etiam mihi videtur in Philosophorum invidiam & contumeliam appellasse J.ctos justitiæ Sacerdotes, quasi Deæ cujusdam cultores, propterea quod Philosophi Stoici suum sapientem solum vere Sacerdotem profitebantur: cum Ulpianus assimulatam, non veram nec sinceram eorum Philosophiam prædicet. „

Cornelius van Bynkershoek.

In Opusculo de Cultu Religionis peregrinæ apud vet. Romanos: princip: „ Quum & humana & sacra legibus regantur, Legumque peritiam J.ti profiteantur, non profani duntaxat juris, sed & Sacri prudentia ad officium eorum pertinet. Recte igitur

 „ ipsam

„ ipſam juriſprudentiam definivit Ul-
„ pianus in *l.* 10. §. 2. *ff. de juſt. & jur.* quod ſit: *Divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia*. Stoici quidem divinarum humanarumque rerum ſcientia complectebantur definitionem Philoſophiæ, ut eſt apud Senecam *Epiſt.* 90., & Plutarchum *Praef. L.* 1. *de Placit. Philoſoph.* ſed addit Ulpianus *juſti atque injuſti Scientiam*, quæ ut a præcedentibus verbis ſeparata, intellectu tamen cum his ſunt conjungenda, perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, in divinis & humanis verſari ſcientiam juſti & injuſti „ & paucis interjectis „: Quapropter, ut Sacra pertinent ad curam Legum, & Leges ad curam Jctorum, neceſſe eſt, eos, qui juriſprudentiam profitentur, utriuſque juris, & ſacri & humani, eſſe peritos, quin & olim apud Veteres eorum ſcientia utroque nomine celebrabatur, ut conſtare poteſt ex aliquot locis, quos in hanc rem collegit Barnabas Briſſonius *Select. Antiquit. L. IV.* c. 16. „ quem vide. *Jo:*

Ita ad tit: I. L. 1. Inſtit. §. 1.
„ Jureconſultis perpetua erat æmulatio cum philoſophis ἀπράκτοις, *ignavis*, qui ſola barba & pera id nomen tuebantur. Quemadmodum ergo jureconſultos *veram non ſimulatam philoſophiam affectare*, dicit Ulpianus *L.* 1. §. 1. *ff. h. t* ita ab eodem juriſprudentiam philoſophiæ definitione exornari, minime mirandum.

Habes jam ſex juris Anteſignanos ad hunc locum Ulpiani: Qui tempore eos ſecuti ſunt, omnino ſe ſubſcripſere; quales præcipue Anteceſſores noſtri Franciſcus Rapolla, & Joſephus Cyrillus, præceptor olim meus, in Apologiis adverſus Cl. Muratorium: *De' difetti della Giuriſprudenza*. Vides autem duplicem de hac re ſententiam: Aliqui namque ſic interpretantur, ut *divinarum* atque *humanarum* nomine veniant quæ ad Deorum cultus pertinent, ſacra nempe atque Sacerdotes, nec non fortaiſe humana illa, quæ

vel a divinis pendent, vel sacrorum potestati subsunt: eorumque omnium notitiam eo esse comparatam, ut in illis quid justum quidve injustum sit deprehendatur. Alii vero, inter quos eminet Heineccius, putant (bene quidem sed mala de caussa) JCtos perpetuo atque acriter cum Philosophis maxime Stoicis certasse, & invidia potius eorum Scientiæ definitionem (quo nihil absurdius) suffuratos, eamque suæ jurisprudentiæ assuisse.

CAPUT II.

De Statu Philosophiae apud Romanos. Antiquissima Hominum Philosophia innuitur. Graecorum Philosophandi initia proponuntur. Historia celebrium in Philosophia Romanorum percurritur. Graeca cum Romanis instituta conferuntur.

PHilosophiam cum Homine ipso ortum habuisse, illius naturalis indoles post humanam labem præclare de-

demonstrat. Homo primævæ illius felicitatis non immemor, præcipuo quodam stimulo ad illam fertur, modisque omnibus ad eam assequendam conatur. Ipse autem in solo Deo summam veramque felicitatem contemplatur: Deum autem primum Verum, ipsamque veritatem esse satis cognoscit. Igitur acquisitione veri, infinitæ illius felicitatis particulam comparare sibi posse persuadet. Atque hinc in homine insatiabilis illa veri videndi cupiditas.

Primi itaque mortalium, qui pastoritiam artem, vel agrorum culturam, vel denique nauticam exercebant, naturali quadam voluptate, astrorum cursus, plantarum propagationem, ventorum atque æstus vicissitudines notabant. Paullatim deinde ulterius penetrarunt, & de humanæ mentis natura, facultatibus, deque hominis fine, ejusque vita instituenda, tandemque de primario Ente naturam regente, quantum cuique per se liceret, investigabant. At hujusmodi ejus ætatis Sapientes aliter rationes inibant;

bant ; nam quæ ipsi saperent , quid maximum & supra homines rati ; ea nonnisi ab iis , qui peculiare vitæ genus instituerent , assequenda putabant: quare sibi summopere abblandiebantur, & inani quadam gloria intumescentes, non doctrina modo , sed & cætero vitæ cultu se a populo secernere studebant . Hinc procul a voluptatibus & hominum consuetudine in lucis plerumque & speluncis secedebant , ibique asperam vitam , vino atque animalibus abstinentes , & corpus quasi nudi , agebant . Universa autem , quæ ad humanam sapientiam pertinerent , investigabant ; quare Theologiam , Politicam , ac morum doctrinam sapiebant : quamobrem fieri quoque oportebat , ut istæc Scientia simplex potius esset cognitio , quam scientifica meditatio , quæque traditione potius ad posteros propagaretur . Ex hac male concepta sui idea in tanta temporis asperitate, factum quidem est , ut omnia arcana servarent , nunquam apud populum evulganda . Quae porro animi virtutes , quæ arcana Sapientia , non modo

do apud plebem eos summopere commendabat, sed & apud ipsos Reges, a quibus in consilium admissi, & de Regni felicitate ex vaticinandi arte consulti; & ut denique Deos pro salute patriæ deprecarentur. Quare plerumque & iis sacra concredita, aut saltem qui sacrorum curam haberent, populi Sapientes fiebant, ut præcipue de Ægyptiis relatum est. Hi itaque erant apud Ægyptios Hierophantæ, apud Indos Gymnosophistæ, apud Persas Magi; apud Gallos Druidæ. Denique hanc Doctrinam, quæ *barbarica Philosophia* audit, universæ humanæ Sapientiæ prima extitisse fundamenta, omnibus est in comperto.

Cum autem Græci commercia cum hisce Barbaris agitarent, & religionem, & politica instituta, deque Scientiis atque Artibus non pauca, in patriam reportarunt, ibique suomet ingenio & proprio marte philosophari incipientes, tandem universam philosophiam ad perfectionis apicem perduxere. Omnem autem Græciæ Sapientiam a Barbaris provenisse, & ob id gentes illas Græ-

cis

cis invisas evasisse, testantur Tatianus, Athenagoras, Theophilus, Clemens Alexandrinus. Græci igitur postquam ita a cultu fero primum emerserunt, ad illud unum contenderunt, ut verum atque bonum cognoscerent, in ejus caussas inquirerent, & ex fontibus deductas veritates certa ratiocinandi methodo aliis proponerent: ad hoc enim juvabat innata gentis curiositas, & libertas quam ipsa regiminis forma, contra ac apud Barbaros, fovebat. Et priscis quidem barbaricæ adhuc philosophiæ temporibus, homines prout agrestes & ingenio rudes, ea quæ vel humanum captum excederent, vel diuturnam saltem meditationem exposcerent, assequi volentes; vel caussas cum effectibus turpiter confundentes; deformissimas rerum ideas pro imaginatione potius sibi effinxere: & ut aliqua proponam; quicquid ex se nulla manifesta caussa ageret, divinitatis aliquid in se habere putarunt, cur ad eorum cultum convolassent: hinc astrorum cultus: ignis loco clauso servatus; qui mos deinde a Persis ad Græ-

cos & Romanos migravit: porro animos ex aëre constare; intelligentiam vero in motu citissimo præsertim rotationis positam. Præterea primi illi Græciæ Sapientes, qui praeter ceterorum commune sentirent, statim perspexere novis hisce e Philosophia rationibus, quæ plerumque ad rempublicam continendam inservirent, gentem moribus efferatam nullo modo flecti posse atque emolliri; ut itaque Respublica suis cohæreret vinculis, animique mitescerent, doctrinas sacras, atque religionem fabulis complexi sunt: qua de re eleganter Strabo: *fieri non potest, ut mulierum, & promiscuae turbae multitudo philosophica oratione excitetur, ducaturque ad religionem, pietatem & fidem: sed superstitione ad hoc praeterea opus est; quae incuti sine fabularum portentis nequit* (1). Denique cum apud Barbaros, qui inter voluptates vitam traducerent, in more esset, quæ optima, carminibus complecti, factum ut poetæ, sapientiæ custodes, au-

(1) *Lib. I.*

audendi fingendique licentia usi, primas veritates in infinitum immutassent. His ex caussis orta est *fabularis* illa Græciæ Philosophia, quæ primam Græcanicæ Sapientiæ ætatem occupat: tunc temporis enim floruere viri illustres universæ poeseos parentes, Prometheus, Linus, Orpheus, Musæus, Aristophanes, Hesiodus, Homerus: & ex quo factum est, ut hujus philosophiæ vera principia eruere quasi impossibile Viri docti demonstrarint.

At confirmatis aliquantisper hominum ingeniis, meliusque constituto Reipublicæ statu, non modo philosophia se ad scientiæ rationem composuit, sed universa Civitas certis legibus consedit. Tunc enim sacra a profanis, & mysteria recondita a publicis Civitatis regulis atque legibus separata sunt, sicque religionis custodia tradita Sacerdotibus; Leges vero ordinatæ a Viris prudentibus, & publicae salutis intelligentissimis: Tunc quoque meditatione atque ratiocinatione de divinarum humanarumque rerum veritate inquiri cœptum; idque paul-

latim

latim proprium ac peculiare ſtudium aliquorum hominum evaſit, qui de Sapientia præ ceteris eſſent ſolliciti; hique & alios edocere & in ſententiam ſuam trahere ſtudebant:. Hinc Scholæ: hinc Sectæ. Qui autem Principes extiterint, hi fuere duo, Thales unus e ſeptem Græciæ ſapientibus, e cujus Schola non Ionici tantum, ſed & Socrates ejuſque diſcipuli prodiere, quibus ſectam Academicam, Cyrenaicam, Eriſticam, aliaſque minores Peripateticam, Cynicam, & Stoicam debemus: Alter Pythagoras Samius, qui non Scholam modo Pythagoricam in M. Græcia celebrem aperuit, ſed & occaſionem dedit Eleaticæ, Heracliteae, Epicureæ, Pyrrhonicæ.

Hæc Sectariæ Philoſophiæ primordia: quo autem modo ea adoleverit, quæve fata ſubierit, ex Hiſtoria habemus. Nam cum aſpectabilis hæc Mundi machina ſtatim oculos percellat; hinc primum de Elementis, deque Principiis quibus Elementa in hunc Univerſum coaluiſſent, Sapientes illi diſpu-

disputare cœperunt. Cum vero in rebus naturalibus sæpe tam multa concurrant, ut intelligentissimi scrutatoris intelligentiam subterfugere videantur, hinc factum est, ut prisci illi recte prius facti circumstantiis separatis, simpliciorem rem illam sibi per imaginationem reddentes, facilius consequentias deducerent, & inde ad circumstantias primitus separatas redirent: atque ita imaginariam Naturæ Scientiam fecere, quam *Mathesim* nominarunt. Quoniam vero Physica Scientia nisi ab Homine recte instituto acquiri potest; hinc Hominem nosse, primarium putarunt, & de Animi natura, ejusque affectionibus, deque remediis tractandum existimarunt. Icciirco prius Legibus a Deo Homini inditis diligenter exquisitis, ad affectiones, vitia, quibus Hominum natura subjicitur, atque remedia (quæ omnia apud nos Ethicam constituunt), gradum faciebant: Atque hujusmodi Scientiæ pro diverso hominum statu tres fecere partes, Œconomiam, Politicam. Commercium. Sed altius penetrarunt, & de

de humanæ mentis natura, deque ejus attributis multa ſubtiliter exquirere cœperunt, quæque apud nos ad Pſychelogiam amandantur. Tandem ex hiſce omnibus profluxit idea illa, ad quam mira Univerſi compages, humanique animi præſtantia nos ducit, ſcilicet ad primum Ens, contingentium univerſarum rerum unicum factorem; deque ejus attributis, quantum fas eſt, diſputarunt; idque eorum Theologiam faciebat.

Hi autem Sapientes in Porticibus ſuas peragebant diſputationes. Conveniebant ibi animi, voluptatiſque gratia, indeque concertationes inſtituebant. Erant autem Porticus, aedificia juncta ſacris Ædibus, vel illuſtrium virorum domibus, neceſſitatis, aut ornamenti, animive gratia. Sed præter illas, jam inde antiquiſſimis temporibus in Græcia erant Gymnaſia & Academiæ, atque adeo Scholæ publicæ, in quibus docebant Philoſophi. Et celebriora quidem Gymnaſia erant tria: Academia, Lyceum, & Stoa: In Academia docebat Plato; in Lyceo Ariſtoteles; & in Stoa Zeno.

Et Academia locus erat extra urbem magnificus; Hecademus enim quidam locum hunc privatum, publico commodo reliquit, ut inde gymnasium extrueretur: distabat autem ab urbe sex stadiis: ibi erant & Deorum simulacra, & sepulchra Heroum; ipseque locus Musis erat dicatus. In tanta autem reverentia erat apud Athenienses, ut capite lueret, qui furtum, quod drachmas decem excederet, ibi fecisset; sed ne licebat quidem in eo ridere, vel aliud, quod animi levitatem præseferret. Porro Lyceum locus erat in suburbio Athenarum, a Pericle conditus, ubi novi milites a Polemarchis, artibus bellicis edocebantur: templum ibi erat Apollinis Lycii, unde nomen fuit: ambulacris, fontibus, atque arboribus consitis, jucunde superbiebat: ibi vero deambulando Aristoteles docebat. Tandem Stoa erat porticus inter multas Athenis celeberrima, dicta etiam *Pisianactia*, & postea *Poecile*, sive *varia*, propter pulcherrimarum tabularum varietatem. Sed præter hæc tria, erant & minora alia gymnasia; ut Cynosarge,

ge, quo peregrini, nothique exercebantur; quodque Antisthenes elegit.

Sed a Græcis longe abiere Romani, qui feroci Romuli instituto edocti, nihil, nisi quod ferociam saperet, amplexi sunt. Hinc bonæ artes apud eos nonnisi tardius penetrarunt, & fugitivam quasi sedem obtinuerunt: assiduis enim belli occupationibus distinebantur. Quoniam vero animus natura sublimis & acer, suam præsentiens virtutem, grandia, nobilia audet; Romani potius ipsa animi altitudine, moribus confirmata, ad ea quæ exteriorem hominem homini reddunt superiorem, vehementissime agebantur. Prisci illi, quorum animus neque delictum, neque lubidinem deperibat, artis lenocinia a Republica arcebant, ne iis allecta juventus, animum relaxaret, emolliretque. Romanum namque sapientem volebant, qui non secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus, vere civilem virum exhiberet. Libertas quod summum putabant, quodque a majoribus, qui primitus a naturali libertate in

urbem concesserant, traditum habebant, & ejectis Regibus confirmatum, ipsos naturæ stimulos præfocabat. Sæpe parentes filios, dulcem spem; filii senem parentem; maritus charissimam uxorem, ad bellum profecturi, pro patria relinquebant: *Jamprimum* (verba sunt Sallustii (1) *juventus simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis, & militaribus equis, quam in scortis atque conviviis lubidinem habebat: igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant*. Hæc ita ad ferociam animum comparabant, ut a Scientiis omnino abhorreret. Apud Græcos erant Porticus, atque Gymna-

(1) *Bell. Catil. procem.*

mnasia, ubi juventus vel in Scientiis proficeret, vel corpore robustior evaderet. Apud Romanos erant Circi, ubi feræ, vel inter se, vel cum bestiariis pugnabant; hique vel ad hanc pœnam erant damnati, vel sponte pugnabant, sive ferocia, sive auctoramento inducti. Cœnam quoque, vel funebria sequebantur hujusmodi pugnæ, quæ vel saturos convivas, vel manes sanguine recrearent, piarentve. Apud Græcos si aliquid magni gereretur, statim præclara ingenia memoriæ mandabant, extollebantque; *at populo Rom. nunquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque, negotiosus maxume erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optimus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat* (1).

Apud Romanos itaque ii, quibus mens sanior & natura providentior, interiori meditatione naturæ principia vestigantes, nec philosophorum ullius Scholæ addicti, sed quotidiano re-

(1) *Sallust. eod.*

rum publicarum usu edocti, optimam Philosophiæ practicæ notitiam sibi comparabant. Ea namque doctrina illa est, quæ ex Naturæ fontibus promanans, beatitatem omnium & singulorum efficit; & cujus præcipua pars est prudentia Civilis, quæ tamen complectitur Architectonicam, sive artem omnia in rep. ad civilem felicitatem dirigendi: Deliberativam, sive artem dijudicandi quid reip: utile sit: & Judiciariam, sive artem decernendi quid de actionibus moralibus & civilibus secundum jura sit statuendum. Qui hujus Sapientiæ præsidiis remp: vellent administrare, quæcumque a sapientioribus tradita fuissent, summo studio colligebant, rati ea omnia, quæ libero homine essent digna, ad publicum virum constituendum universa inservire. Per omnes itaque Philosophorum Sectas excurrebant tanquam exploratores, ut demum quæ magis ipsis placerent, eligerent. Exercitibus atque devictis provinciis in Græciam præfecti, non Græcam eruditionem modo pernoscere satagebant, sed viros in ali-

quo

quo virtutis genere præstantes in familiaritatem adducere, & eorum præceptis erudiri. Nunquam vero de Philosophia nova scribere, nedum systemata condere unquam aggressi sunt: etsi enim neque judicii acumen, ingenii elegantia, & litterarum præsidium defuisset; deerat tamen tempus, atque otium a rerum civilium & bellicarum tumultu remotum, sine quo nova fieri nequit ad humanam Scientiam accessio. His ex caussis factum, ut majorum institutis, ac Græcorum præceptis doctiores, publicis negotiis prudentiores, animi constantia firmiores facti, simplicem potius sapientiam, in gubernando autem optimam (1), sibi pepererint, qua non modo Rempublicam ex parva magnam fecerunt, sed & posteris immortale Politices thesaurum reliquerunt. *Jam illa* (rem omnem conficit Tullius (2) *quae natura, non litteris assecuti sunt, neque cum Graecis, neque ulla cum Gente sunt con-*

 feren-

(1) *Virg. Æneid. lib. VI. v.* 851.
(2) *Tuscul. L. I. in exord.*

ferenda : quae enim tanta gravitas , quae tanta conſtantia , magnitudo animi , probitas , fides , quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit , ut ſit cum majoribus noſtris comparanda ? Quæ cum ita ſint, juvabit tamen veterum monumenta rimari , & quid de Romanorum Philoſophiæ ſtudiis peculiare occurrat , in medium producere .

Ut autem a vetuſtiſſimis Regum temporibus ordiar , ne ſuſpicari quidem licebit ea ætate Philoſophiam , Scientiamve ullam fuiſſe . Romulus enim ad novam Urbem extruendam cum aſylum aperuiſſet , miram vim hominum , Latinos , Tuſcos , quoſdam etiam tranſmarinos , Phryges , Arcades, congregavit , iiſque quaſi elementis pop: Romanum ipſum effecit . Hæc agreſtis hominum turba , latrociniis aſſueta , ſolo armorum vinculo poterat contineri : quare ipſe Romulus ſedentarias artes ab iis profligavit , agriculturam modo ac bellicam artem ſervavit . At Numa Pompilius , qui ſecundus ab Romulo Rex fuit , vir

tetri-

tetrica disciplina ac inclyta justitia suspiciendus, optime præsensit totam ferocis populi mentem in armis esse, quæ si adversus exteros movendi defuisset occasio, in propria Civitatis viscera esset conversurus: ideoque secum putavit vel perpetuam belli occasionem quærere, ne animi in otio vel quid moliri, vel meditandi tempus nancisci possent; vel, quod opportunius, idque suæ indoli accomodatius cognovit, religione animos emollire. Quamobrem quum solo religionis fræno plebs ad obsequium esset ducenda; iccirco terrenda ominibus, vincienda superstitione, & flectenda cæco Pontificum, Sacerdotumque imperio. Quare commento miraculi, eorum animos bene præparavit, deinde ad Sacra, cælestes cærimonias, funebria quoque instituenda se contulit; ita ut urbem armis conditam, legibus, ac moribus restituerit. Quæ autem, etsi sapientissima, atque optimum Legislatorem, ne Lycurgo quidem secundum, qui Lacedæmoniorum quoque remp: temperavit, nullo tamen modo Philoso-

phum

phum conſtituunt. Neque ab eo tempore ad uſque finem primi belli Punici, apud Romanos vel Scientiarum, vel Artium quidquam invenies: commercia enim neque cum Græcis, neque ulla cum gente adhuc erant. Paullatim qui Hetruriam, Magnam Græciam, Siciliam habitarent, in ditionem redactis, complura ab iis, ut poeſis, Romam migrarunt; quæ deinde poſt bella extra Italiam geſta, ſe ad Scientiæ modum explicuere.

Anno itaque Urbis 586. cum Romani Perſeum Macedoniæ Regem ſubjeciſſent, multos e Græcia, qui victo Regi faverant, Romam duxere, inter quos Polybium in Hiſtoria præſtantem, & Panætium, judicio Ciceronis, Stoicorum prudentiſſimum. Scipio autem Africanus minor adeo Polybii doctrina captus fuit, ut a Prætore petierit ſecum habere illum, eoque amicitiæ vinculo ſibi devinxit, ut nemo illo eſſet charior: iis autem ſtudiis non armorum tantum ſeveritatem demulcebat, ſed & animum ad pacis bellique neceſſitates formabat. Neque mino-

minori studio ad philosophiam ferebatur; nam & Panætium quoque & præceptorem, & comitem sibi adjunxit; ejusque præceptis informatus, ad Socratici Xenophontis severam lectionem se contulit: eruditos deinde e Græcia quot Romæ fuere, secum semper palam habuit; ita quidem ut si quid temporis ab armis superesset, optimis studiis manciparet. Ætate Africano pares erant C. Lælius & L. Furius, quorum eximiæ atque illustri naturæ, ut a Cicerone habemus, cum accessisset ratio quædam, conformatioque doctrinæ, magna multa, atque præclara in illis emicuere: hi namque omnes in eadem familiaritate cum Panætio erant; cujus Stoicis præceptis, ad formandam virtutem, imbuti, modestissimos se ac continentissimos in rep. præstitere. Complures deinde e Rom. patriciis iis se adjunxere, inter quos Q. Tubero, & Q. Mutius Scævola, de quibus mox.

Quæ Polybium & Panætium Romæ duxit caussa, & alios bene multos allexisse, qui Rethoricen, ac Philosophiam publice profiterentur, verosimillimum

est.

eſt. Circa namque illud temporis h. e. an. 592. C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Coſs., Sctum de Philoſophis & Rethoribus invenio, quo PP. cenſuerunt, *ut Marcus Pomponius Prætor animadverteret, curaretque, uti ei e Republica, fideque ſua videretur, uti Romae ne eſſent*. Quod quidem ea fortaſſe de cauſſa a Senatu factitatum, ne quid præter inſtituta majorum, qui a Scientiis abhorruerant, agi videretur. At longe ſeverius illud eſt, quod de Græcorum legatis, paucis poſt annis, ſcilicet an. 598. ſcribunt Plutarchus, aliique. Athenienſes Oropiorum Urbem Bæotiæ vaſtaverant; quæ in auxilium Romanos accivit: hique per Sicyonios quingentum talentis circiter Athenienſes mulctati ſunt. Hanc ob rem iſti ſelectis tribus tunc temporis diſertiſſimis Philoſophis, Diogene Stoico, Carneade Academico, & Critolao Peripatetico, Senatum Populumque Rom. deprecatum miſere: illi autem ibi diutius quam negotium ferret, immorati, juventutem omnem græcis eloquen-

tiæ

tiæ lenociniis in se traxerunt: maxime autem Carneadis in dicendo præstigiæ, cum summo lepore conjunctæ, quibus de quacunque re persuaderet, venti instar tota urbe personabant: & fama erat, Græcum virum ad stuporem usque in percellendis hominum, demulcendisque animis valere: quo rumore correpti juvenes, quasi furore quodam ad philosophiam ferebantur: Hæc sapientiæ semina uberem promittebant messem. At intercessit severa Catonis majoris auctoritas, qui totam hanc segetem, velut in herba suffocavit. Is avitæ disciplinæ innutritus, quæ militarem austeritatem unice sectaretur, metuebat ne adolescentes Philosophiæ studiis mancipati, militarem gloriam parum pensi haberent. Ad hoc confirmabant Græciæ fata; quæ cum universa in se recepisset studia, pristinæ fortitudinis laudem amiserat fere omnem, vixque ulla libertatis umbra fruebatur: voluptates enim animos corruperant; & Optimates per Philosophos ac Sophistas quocumque vellent, populum trahebant. Quare

statim

ſtatim in Senatum venit, & Magiſtratus accuſavit, quod eam legationem tamdiu in urbe, re infecta, deſidere paſſi eſſent: cujus auctoritas adeo valuit, ut multa ad centum talentos redacta, legati quamprimum re confecta domum remitterentur; juventus vero ad majorum inſtituta revocaretur.

Quem Panætium Africanus, aliique audiverant, eundem habuit præceptorem Q. Tubero, ortus ex præclara Æliorum gente, ut teſtatur Pomponius (1); hinc male in Pandectis Florentinis pro *Panætii* legitur *Panſae*; eoque in Panætiana doctrina profecit, ut *Stoicum* appellet ibidem Pomponius; & Cicero, *eruditum virum ex ſtudio Stoico* (2). Summam autem privati publicique juris notitiam diſciplinis Stoicis adjunxiſſe, ex Gellio (3) ſatis conſtat. Scripſit autem *De officio judicis* libros ad amicum C. Oppium; nec non *Senatusconſulta*. Sed vix unum Tuberonis

(1) *L.* 2. §. 40. *ab his. ff. de O. J.*
(2) *Orat. XXXVI. pro Muræn.*
(3) *Noct. Att. L. I. cap.* 22.

nis in Pandectis vestigium: videsis *L. qui vestem ff. de supell. leg.* Tuberonis gloria non imparem, eadem Panætii Schola eduxit Sex. Pompejum, Gn. Pompeji patruum, quem Jctis accenset Pomponius in *cit. L.* 2. & consultissimum laudat Tullius. Sed longius in Panætii doctrina se præstitit Q. Mutius Scævola, qui in Stoa adeo profecit, ut cum Apollonio Oratore feliciter Rhodi disputarit: & Romæ acutissimus inter Oratores, totiusque Civitatis oraculum evaserit, teste Cicerone (1), aliique.

L. Crassus cum Prætor ex Macedonia decederet, invisit Carneadem, Clitomachum, Æschinem, aliosque multos. Horum præcepta recoquendi gratia, libros Platonis evolvit; deinde ad illum Gorgiæ se contulit, ex quibus tandem intellexit, hominem præcipue Oratorem, Reip. futurum adjumento non ipsis modo conciunculis, sed illa consiliis gubernando. Atque is est Crassus ille, quem ita e Philoso-pho-

(1) *De Orat. L. I. n.* 39.

phorum doctrinis profectum, eloquentissimum prædicat Tullius. Ab eo tempore vetus illa & simplex Africani, Lælii, Galbæ eloquentia, artificioso sententiarum, ac sermonis ministerio Romæ cœpit resonare. Et revera quidem Oratores, ut ex ipso Tullio habemus, in Philosophorum Scholis instituti, quam docte, quam acute, non solum de natura rerum, sed etiam de moribus hominum, de virtute, de officiis disserunt: deque se ipso scribit idem Tullius, quod quicquid in eloquentia effecerit, id non Rethorum, sed Academiæ spatiis consecutum.

L. Lucullus cum Quæstor in Macedonia esset, & post hunc Magistratum bellum quoque Mithridaticum non sine fortunæ favore gereret, præclaram est nactus occasionem, philosophos Graecos, præcipue Athenienses conveniendi, ut ab iis eruditus, patriam ornaret, juvaretque. Quo autem animo Lucullus erga philosophiam fuerit, præter Plutarchum, testatur Cicero, Luculli familiaris, cujus nomine insignivit Academicarum quæst. Lib. quartum:

tum : Lucullus vero præcipue veterem Academiam coluit. Cum autem magno esset ingenio, non modo ipse inter armorum strepitus philosophiæ navavit, sed Romæ valde promovit. Quare Bibliothecam collegit copiosissimam, ubi Græci convenirent disputatum, & cum quibus inter disceptandum ipse versaretur: magno autem eos in honore habebat, & domi & ad cœnam cum iis erat; cujus rei testimonium perhibet Plutarchus : *Studioso cuique, & Bibliothecae, & quae circa eas erant Scholae, atque deambulacra, libere, perpetuoque patebant, quo se Graeci, cum per ocium licuisset, conferre solebant; ibi loquendo, legendo, disputando, diem jucunde terebant* (1).

L. Sylla expugnatis Athenis Olymp. CLXXIII. 4, ex Apelliconis Teii bibliotheca omnes Aristotelis, & Theophrasti libros Romam detulit. Apellico autem iste, homo peripateticus, cum opibus polleret, aliasque bibliothecas emisset, eam quoque Aristotelis ma-

D gno

(1) *In Lucullo*

gno ære comparavit. Libros itaque illos deſcribendos curaverat, eorumque, qui detrimentum aliquod paſſi eſſent, lacunas expleverat. Iis autem Romam aſportatis, cum adhuc apud Syllam eſſent, Tyrannio Grammaticus, quem Lucullus captivum duxerat, Ariſtotelis ſtudioſiſſimus, ab iis, qui bibliothecæ præeſſent, veniam obtinuit codicibus Ariſtotelis utendi; quare eos ex laceris membranis tranſcripſit, quantum potuit emendavit, ſicque frequentiorem eorum lectionem fecit. Acceſſit deinde Andronicus Rhodius, qui peripateticam deperibat, & non modo extantes adhuc lacunas, ex ingenio & conjectura ſupplevit, obſcura illuſtravit; ſed etiam ſcripta argumenta affinis in unum conjungens, in proprios tractatus diſtribuit; tabulas quoque ſive indices eorum compoſuit, ſicque vulgatiorem fecit genuinam Ariſtotelis philoſophiam. Vides nunc Romanos ſenſim expoliri, atque ad Sapientiam excitari: ita quidem ut niſi eorum opera acceſſiſſet, fortaſſe Ariſtotelis libris perpetuo carendum

dum haberemus. Paullatim itaque græcum morem, & Græci homines, & Romani ab iis reduces, Romam, cum plurimis illorum ſcriptis invexerunt. Ita quum jam priſca illa auſteritas, nimiaque arrogantia temperari cœpiſſet, illorum exemplo, Romani primores bibliothecas extruxere, atque porticus, ubi cum Græcis præcipue diſputaret. Tales fuere præter Lucullum, Atticus, Cicero, Varro, aliique. Et primus Aſinius Pollio publicam aperuit, teſte Plinio, deinde Auguſtus Apollinis templo, quem in Colle palatino conſtruxerat, addidit porticus cum bibliotheca latina, græcaque; eamque & clariorum Scriptorum imaginibus locupletavit. Ab eo quoque tempore viri optimi filios in Græciam inſtituendos miſerunt: & Athenas Atticum inviſiſſe, tradit Nepos; idem quoque de ſe narrat Ovidius; & ipſe denique Cicero, ejuſque filius: poſt Syllæ vero direptionem miſerunt & Spartam, Rhodum, Apolloniam, Maſſiliam, aliaque loca philoſophiæ ſtudio clara.

M. Brutus avunculum Catonem imitandum suscepit; quare Plutarchus scribit, *nullum fere fuisse Graecorum Philosophorum, quem non audierit; nullam Sectam, quam non cognoverit* (1). Sed maxime Platonicam doctrinam amplexus est; namque & mediam Academiam non admodum probans, antiquam sectabatur, & propterea Antiochum Ascalonitam perpetua in admiratione habebat, fratremque ejus Aristonem, amicum sibi & contubernalem adsciscebat. Idem tradit Cicero, qui ita ad Varronem: *Brutus quidem noster excellens omni genere laudis, sic Philosophiam latinis litteris persequitur, nihil ut iisdem de rebus a Graecis desideres*. (2) Libros autem conscripsit *De virtute*, quorum mentionem faciunt Cicero & Seneca, & alia fortasse.

Cassium illum Romanae libertatis vindicem, Epicurum secutum esse, patet ex Tullio (3); idque Plutarchus memo-

---

(1) *In Bruto*

(2) *Acad. quaest. L. I. c. 3.*

(3) *Ep. fam. L. XV. ep.* 16, 18, 19.

morabili exemplo, de ſpectro, quod Bruto apparuerat, confirmat (1). Et fortaſſe ea præcepta Epicureus ille Catius Inſuber Romæ evulgaverat, ut idem Tullius notare videtur. Sed princeps inter Epicureos dicendus eſſet C. Vellejus Senator, quem Cicero in Libro I. *de Natur. Deor.* introducit recenſentem, quid alii de Diis ſenſerint, & quid ipſe exiſtimet; cujus deliramenta ſtatim Cotta Academicus, acri judicio examinans & convellens, oſtendit Epicurum verbis reliquiſſe Deos, revera ſuſtuliſſe. Cæterum viri ſummi apud Romanos tantam fœditatem non putabant cum Epicuro ſentire, quantam jactabant Stoici, & Academici; vel indignos eſſe ejus hortos, ex quibus Sapientiam addiſcerent. Inter hos fuere præter Caſſium, et Vellejum, L. Torquatus, C. Trebatius, L. Papirius Pœtus, Verrius, L. Sanfejus, T. Albutius, M. Panſa, M. Fabius Gallus, aliique bene multi.

M. Piſo præceptorem habuit Staſeam

(1) *In Bruto*

ſeam Neapolitanum, deinde & Athenis audivit Antiochum, ex quibus Peripateticam hauſit: quare ipſe Cicero eundem producit de finibus bonorum & malorum, veteris Academiæ ſententiam prolixe ediſſerentem, licet Peripateticam quoque doctrinam in hoc argumento defendat (1). C. Cotta Academiam ſecutus eſt, ita ut Cicero C. Cottam, C. Vellejum, Lucilium Balbum *tres trium diſciplinarum principes*, Academicæ, Epicureæ, Stoicæ appellet (2), eique in libris de *Nat. Deor.* Academici partes tribuit, de omnibus probabiliter diſſerens, & ſtatuens nihil eſſe tam firmum, quin poſſit cum probabilitate impugnari. In ea vero diſputatione Zenonis ſententiam, Cicero tribuit Q. Lucilio Balbo, qui, ejus judicio, cum excellentibus in eo genere Græcis eſſet comparandus. Hic autem in L. III. adverſus Cottam conatur oſtendere Mundum eſſe Deum, ſapientem, nihilque me-

(1) *De Finibus L. V. c.* 1.
(2) *De Nat. Deor. L. I. c.* 4.

melius ipso reperiri: Sydera non carere ratione: Naturamque non esse brutam, sed intelligentia, & providentia præditam; quæ erat Mens illa Stoicorum, quæ coalescens cum materia Mundi, Mundum ipsum constituebat.

P. Nigidius Figulus, Ciceroni coævus, circa an. V. C. DCLXXX. floruit, & non eruditionis tantum, præcipue mathematicæ gloria, sed & munerum dignitate maximam sibi famam conciliavit. Tanta enim disciplinarum omnium, præcipue elegantiorum notitia inclaruit, ut *hominis in studiis bonarum artium praecellentis, & impense docti* laudem consequatur a Gellio (1); qui eundem cum M. Varrone inter *doctrinarum multiformium, variarumque artium, quibus humanitas erudita est, columina quae aetas Ciceronis habuit*, referre non dubitat (2). Præter elegantiores autem litteras, mathematicas quoque disciplinas impense coluit, & inter has inprimis

(1) *L. X. c.* 11, *L. XI. c.* 11.
(2) *L. XIX. c.* 14.

Astrologiæ tanta felicitate operam dedit, ut fidem superet, quod de ejus prædictionibus Astrologicis referunt Veteres. Pythagoream vero doctrinam non modo de methaphysicis, sed etiam de proportione & numeris coluit: *Multa sunt nobis* (scribit Tullius (1) *& in Academicis conscripta contra physicos; & saepe cum P. Nigidio Carneadeo more, & modo disputata. Fuit enim vir ille, cum caeteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator, & diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur. Denique sic judico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodammodo, cum aliquot saecula in Italia Siciliaque viguissent, hunc extitisse, qui illam renovaret*. Ex quo colligitur Nigidium mathematicas, & inprimis Arithmeticas rationes ad rerum naturalium inquisitionem adhibuisse, ut inde ad vaticinia veniret. Quod si libri ejus extarent *de Animalibus*, *de extis*, *de augu-*

(1) *De Univers. c. I. pr.*

auguriis , de ventis, aliique ; accuratior de ejus philosophia, notitia haberi possent . Denique si Servio credimus (1) de Theologia quoque scripsit.

Veniamus ad M. Terentium Varronem. Is e reipublicæ turbis tandem eluctatus, litterario otio se dedit; negotiosus tamen adeo, ut teste Gellio, libros CDXC conscrisperit. Tanta vero eruditionis præstantia inter omnes sui temporis emicuit, ut communi judicio nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos fuerit. Non modo autem in eruditione præstabat, sed & in Philosophia ; nam veterem Academiam secutus est; de utraque vero scripsit bene multa. Has Catonis virtutes, atque eruditionem mire Cicero complexus est . *Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura , tu Sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam , tu sedem regionum , locorum , tu omnium divinarum , humanarumque rerum nomina , genera , officia , caussas aperuisti : plu-*

(1) *Æneid. L. X. v.* 175.

plurimumque poetis nostris, omninoque latinis & litteris luminis attulisti, & verbis; atque ipse varium & elegans omni fere numero, poema fecisti: philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad docendum parum. (1) Scripsit itaque libros *de republica*, & *de re rustica*, qui politicam, & æconomiam comprehendunt. Eam porro philosophiæ partem illustravit, quæ de moribus agit, & ad instar Cynici Menippi, Satyras scripsit; quare *Cynicus Romanus* dicitur Arnobio & Symmacho. Libros denique alios de Philosophia, & Antiquitatum scripsisse, testis est Divus Augustinus, qui eos pluries laudat, & ex ipso Tullii loco satis apparet.

Deventum tandem ad M. Tullium Ciceronem, Romanæ eloquentiæ, sapientiæque principem. Is puerilibus studiis transactis, ad philosophiam accessit, Philonemque Larissæum tunc Romæ commorantem audivit; ab eoque dicendi quoque præcepta hausit; quorum

(1) *Acad. quaest. L. I. c.* 3.

tum utriusque studia ad Academicam philosophiam, jungenda existimabat, quæ unica forensi eloquentiæ apta videbatur. Cum Syllæ autem dissensiones incidissent, Athenas petiit. Deinde Asiam navigavit, ubi Rethores, Antiochum Ascalonitam, Xenoclem Adramyttenum, Dionysium Magnettum, & Menippum Carem audivit: Rhodi vero Apollonium Molonem, ac Philosophum Posidonium. Ipse autem Academicam sectam amplexus est, ratus eam facillimam aperire viam, unde argumentorum in omnes partes versatilium copia posset depromi. Ex eorum vero Academicorum genere fuit, qui post Carneadem, & Clitomachum, Philonem sequebantur, viderique volebant aptius, humanoque intellectui convenientius philosophari, admittendo in asserta humanæ cognitionis incertitudinem, probabilitatem, vel majorem, vel minorem, quæ posset sequi. De philosophia autem latinis litteris consignanda maxime meruit Cicero, nam neque latini termini, nec vocabula erant. Nihil autem novi in philosophia addidit, sed Græco-

co-

eorum tantum placita enarravit: Quare magis philoſophiæ hiſtoriam, quam Syſtema compegit. Et naturalem quidem Philoſophiæ partem, reſpicit *Timaei* Platonis verſio, quam de *Univerſitate* inſcripſit. Theologiæ naturalis limites tangunt libri *De Natura Deorum*; quorum primo, Vellejus, Epicuri de Diis ſententiam tuetur, Cotta refellit; ſecundo Balbus Stoicorum Theologiam explicat; tertio Cotta oppugnat: qua diſputatione Cicero Theologiam gentilem mire convellit, & Chriſtianæ religionis fundamenta jeciſſe videtur. Libri *de Divinatione*, *de Fato*, *Somnium Scipionis*, quod ſervavit Macrobius, toti hypotheſibus Platonicis de anima Mundi, innituntur, ſtatuque animarum poſt mortem. Moralem philoſophiam tractavit libris quinque de *Finibus bonorum & malorum*: Huc quoque pertinent *Tuſculanae quaeſtiones*, quarum libro primo de contemnenda morte; ſecundo de tolerando dolore; tertio de ægritudine lenienda; quarto de reliquis animi perturbationibus; quinto de virtute ad bea-

te vivendum, disputat. Eodem referendi de *Senectute*, & de *Amicitia* dialogi, quos *Catonis* & *Laelii* nomine inscripsit. Juris vero naturalis & civilis præcepta continent libri de *Officiis* ad filium Marcum, juxta Stoicorum principia, quibus Peripatetica quædam admixta sunt; itemque libri de *Legibus*, quos tamen integros non habemus. Denique in *quaestionibus Academicis* maxime suum aperit philosophandi modum; dum potiorum inter Græcos sectarum, ædificium extruit, deinde Academice, præsertim Carneadis more, destruit. Multa vero desiderantur, veluti *Hortentius*, sive admonitio ad philosophiam; libri de *Republica*; libri *Topica*; quorum mentio est apud Auctores.

Gn. Pompejum Magnum cum Rhodi esset, Professores bonarum artium audivisse, testatur Plutarchus (1) & confirmat Tullius. *Narrare solebat Pompejus, se cum Rhodum venisset, decedens ex Syria, audire voluisse Posido-*

(1) *In Pompejo*

sidonium; sed cum audivisset eum graviter esse aegrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum Philosophum visere. (1) Cum Cratippo de Providentia disputavit. Augustus quoque Alexandriæ potitus, Areum Philosophum amicitia sibi devinxit, publiceque testatus est, se cæteris parcere, ut gratus Areo videretur.

Cato Uticensis, illius Censorii pronepos, homo virtuti simillimus fuit, & per omnia ingenio Diis, quam hominibus propior (2). Is autem a prima juventute quodam naturali ardore Philosophiam Stoicam adamavit, adeo quidem, ut in hujus historia nemo occurrat, qui Stoicam virtutem illustrioribus vitæ exemplis expresserit. Non modo enim justum, honestum ad extremum servabat, sed & corporis negligentissimus, Stoicus vivendo magis, quam philosophando videbatur. Quare Flamen Apollinis creatus, Antipatrum Tyrium, Stoicum, socium sibi adscivit,

(1) *Tuscul. II. n.* 25.
(2) *Vellejus L. II.*

vit, morali, & civili doctrinæ intendens. Inde dum Tribunus esset in Macedoniam missus, cum audivisset Athenodorum, cognomine Cordylionem, Stoicæ disciplinæ hominem, Pergami commorari, jamque senescentem Regum, Principumque familiaritates refugere; non putavit per litteras atque nuncios, aliquid se profecturum, sed cum per leges ei duos menses abesse liceret, transgressus in Asiam, hominem adiit, flexitque ejus animum, & ex sententia dejecit, effecitque ut se in castra sequeretur, lætus atque gloriabundus, velut ingentem adeptus palmam. Defunctus Tribunatu, Asiam peragravit, regionum, morum, institutorum, & quæ alia essent memoria & observatione digna, contemplandorum caussa. Cum autem in Pharsalica pugna de Pompejo male quidem esset actum; ipse Cato Uticam custodiendam in se recepit; tamen nihil a fide sua remisit, & cum de salute Reipublicæ desperaret, Stoicæ philosophiæ præcepta secutus, emigrandum sibi ex hac vita statuit. Quare post cœnam, ac philosophicam di-
dispu-

ſputationem cum amicis habitam, nocte Platonis Phædonem de animæ immortalitate, legit, relegitque, deinde ſtricto gladio ſe feriit. Didicerat namque a Stoicis, ſolum ſapientem liberum, eamque libertatem illud agere, ut tranquillitas, quæ unice eſt appetenda, ipſa quoque morte quæratur. Illi enim ajebant, Sapientem vivere quantum debet, non quantum poteſt: Eoſque in id confirmabat ſententia illa, qua ferebant animæ Dei, animæque Mundi, particulam, corpori tanquam carceri incluſam, tum demum liberari, cum corporis ſarcina depoſita, ad ſuperiores auras, beataſque ſedes evolaſſet.

Titus Pomponius Atticus, optimis moribus a natura ornatus, ne Sullanis, aut Cinnanis faveret partibus, Athenas ſe contulit, ſtudiis cauſſa obſequendi ſuis: ibique ita principum Philoſophorum percepta habuit præcepta, ut his ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur: non modo autem Phædrum audivit, ſed & Zenonem Sidonium, Epicurum docentes, cujus ſectæ ſe potius addixit: ita enim ipſe

ipſe apud Ciceronem: *Ego, quem vos, ut deditum Epicuro, inſectari ſoletis, ſum multum equidem cum Phaedro, quem unice diligo ut ſcitis* (1). Vixit vero ſecundum Epicuri præcepta; & talem ſe præſtitit, qualem virum bonum eſſe voluit Epicurus.

Quæ carptim de illuſtrium ſtudiis Virorum, qui ad Auguſti uſque tempora Romæ floruerunt, diſſeruimus, liquido probant, Romam nullas aluiſſe Philoſophorum Sectas; immo alienam ab omni ſtudiorum genere fuiſſe. Ii qui melius a natura ingenium nacti eſſent, vel diuturna meditatione verum inveſtigabant, vel a Græciæ ſapientibus unice petebant. Id vero tantum eis facere licebat, cum per otium tempus ſuppeteret: majora, magiſque præſentia erant, quæ alibi eos diſtinebant. Hinc vidimus neminem uni Philoſophiæ per omnia adhæſiſſe: quæ ex unaquaque meliora videbantur, arripiebant. Invectas Romæ vidimus omnes Græcorum Opiniones, non qua-

E tuor

(1) *De Finib. L. V.*

tuor modo primores Sectas, Academicam, Peripateticam, Epicuream, Stoicam; quarum unicuique quisque, pro ingenio suo, se addicebat. Qui namque animi virtutem adamarent, ii Stoicam seligebant: Qui ad eloquentiam contenderent, ii Academicam: Qui difficiliori essent ingenio, ad metaphysicam ex Pythagorica, & Platonica se conferebant: Qui in libidinum coeno tranquillitatem appeterent; ii Epicuro nomen dabant. Romani itaque, non modo Sectariam solum Græcorum philosophiam habuere; sed neque certam Sectam, certa hominum conditio secuta est. Quos enumeravimus claros viros, ii promiscue ex unaquaque Secta arripuere. Non Jcti Stoicam, Oratores Academicam, nobiliores Epicuream sequebantur, sed nullo discrimine, veluti lambentes, per omnes vagati sunt: quæ vero sibi magis placebat, eam sequi dicebantur: quodque ex supra disputatis patet. Cujus autem negocii, eam potissimam agnosco caussam, quam nuper indicavi, tempus nempe, atque otium, quod iis deesset:

ſet: cujus conſequens erat, honeſta nimis opinio, quam de Græca Sapientia ferrent: ex qua factum, ut cum ad illorum perfectionem pertingere deſperarent, ſatis putaſſent, ſi in eorum ſententias pedibus irent. Quam ob cauſſam devicta a Romanis Græcia, ingeniorum Romanorum evaſit victrix; victorque, inſolito prorſus more, in devicti tranſivit mores, & placita.

Sed ne Medicina quidem, ars illa, qua poſt hominis lapſum, nihil ei magis neceſſarium, a Romanis bene excepta, ullove in pretio habita. A fabuloſis uſque temporibus, in Graecia medicinam excultam, vel unum Æſculapii nomen inter Deos relatum, & immortalia Hippocratis, Galeni teſtantur. At populus Rom. ultra ſexcenteſimum annum ab V. C. ſine Medicis vixit; quo tempore, ſcilicet anno 534. M. Livio, & L. Æmilio Coſſ. primum Medicum, nomine Archagatum e Græcia Romam veniſſe, eique civitatem datam, ſcribit Plinius (1); E 2 ibi-

(1) *Hiſt. Nat. L. XXIX. c. 1.*

ibique non modo medicinam, sed chirurgiam fecisse. At ob sævitiam urendi, secandique, Archagatus odium Romanorum subiit: maxime cum, auctore Catone, putaretur genus istud a Græcis mitti, ut barbaros (quos Græci appellabant omnes) sanitatis specie necarent. Quare inter cæteros Græculos, Medicos quoque Romæ pulsos, ex Plinio satis conjicio. At Plinio obstat Halicarnassæus, qui (1) pestilentiam describens, quæ Romæ grassaretur, ait medicos ob paucitatem ægrotis defecisse; quare usque ab A. V. 301. medicos fuisse existimares. At facile eos in concordiam vocaveris, si illum de humilioribus medicis locutum ponas: Medici namque vocabulum genericum est, & non modo eos comprehendit, qui studiis, atque observatione morborum curas addiscerint, sed illos quoque, qui manuali arte aegrotis inservirent; quorum proinde munus esset venas incidendi, medicamenta præbendi, clysteres, emplastra, collyria admo-

(1) *Antiq. Rom. L. X. c.* 53.

movendi: quique ad summum simplicia illa adhiberent, caules Catonis, oryzæ ptisanaria. Illud autem confirmat Paulus, qui in instrumento Medici collyria, emplastra ponit (1); & Ulpianus, & Gajus, qui ex locato vel ex lege Aquilia in eos actionem dari scribunt (2). Verum Romani, testatur idem Plinius, diu post Catonem Medicos excepere; idque profecto de Asclepiade, qui circa Crassi Oratoris, & Mithridatis Regis tempora e Bithynia Romam venit, intelligendum est. Ab Asclepiade profecti quidem sunt Themisonus, & Antonius Musa, de quo Svetonius (3). Plures deinde medicinam fecere, quorum mentio est apud Ciceronem, Svetonium, & Plinium, Cassios scilicet, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios; & denique Scholæ Medicorum, Augusti

 æta-

(1) *L. cum de lanionis* 18. §. 10. *ff. de fund. inst.*

(2) *L. qua actione* 7. §. *ult.* & *L.* 8. *pr. ff. ad L Aquil.*

(3) *In Augusto c.* 59, & 81.

ætate, meminit Muratorius (1). Cæterum de Medicorum conditione Romæ putandum eſt (ut ex eorum nominibus, atque Auctorum ſententiis conſtat), eos vel e ſervorum, vel ſaltem e libertinorum genere fuiſſe; maxime cum a Cæſare jus Civitatis omnes obtinuiſſent.

Habes jam, veluti in tabula, ingenium, atque mores Pop. Romani. Habes quoque quid in Scientiis præſtiterit. Modo per Artes eſſet perpendendus. Verum quid in iis valuerit, quid egerit, ex dictis intellectu erit facillimum. Principia quibus veteres Romani regebantur, ſatis indicavi *præf. p.* 5., & *praes. cap. p.* 35, 36. Hinc eadem ratione qua neque Philoſophi, neque Medici, neque bonos Pictores, Architectos, Muſicos extitiſſe putandum eſt. Et Græci quidem, præter morum diſciplinam, quatuor ſuos liberos docere ſolebant: Litteras, Gymnaſticam, Graphicam, & Muſicam. Et Gymnaſticam quidem, ut firmum corporis habitum

(1) *Theſaur. Inſcrip. T. II. p.* 924.

bitum adipiſcerentur: Graphicam, quia ſicut Pictores quaſi e novo educunt, ita ipſi per optimam imaginationem, novarum rerum Auctores exiſterent. Muſicam denique, quia mores emolliret, animum erigeret, & denique voluptarium quid, honeſtumque eſſet. At Romani non ante annum V. 268. ſtatuas æri inciſas habuere; quo tempore Sp. Caſſius Cereri poſuit. Deinde vulgares factæ; ita quidem, ut non Diis modo, ſed & claris viris, & defunctorum memoriæ paterent: hinc in Tit. Digeſtorum *de Legatis*, & *de Condit. & Demonſtrationibus*, perpetua mentio eſt de ſtatuis ab heredibus erigendis. At ne putes in hac re quidquam a Romanis actum. Plinius inter ejus ætatis clariores, vix Decium quemdam recenſet, quem e plebe Romana exiſtimares; hinc omnia græcam manum ſapere, optime contendit Cl. Winkelmanus (1); & Græcos Artifices fuiſſe ætate adhuc Cæſaris, & Auguſti, inter quos præſtantiores Dioſco-

(1) *Hiſt. de l'Art. T. II. pag.* 125.

ſcorides, & Solon quidam. Sed Romanos qui non modo eruditionis, ſed & hominum græcorum erant ſtudioſiſſimi, & pulcherrimarum quoque rerum, quas bonæ Artes apud illos educerent, eſſe oportebat curioſos: quare in capta Syracuſa, Sicilia, Græcia, præſtantiora omnia ſervarunt. Quod ad Picturam attinet, Fabius quidam, e patricia gente, in illa inclaruit; ſed laudi ei datum non eſſe quod pingeret, ex Tullio ſatis conjicio (1): quare vel Græcos, vel ſaltem e Romana plebe picturam feciſſe, Plinius ſcribit (2). Sed ſtudioſius fortaſſe excultam Architecturam, perſuadent primo, Romana ædificiorum magnificentia, quam orbis adhuc non vidit: tum quæ Antiochus, deinde Ariobarzanes Reges egerint, dum Athenas, & Cappadociam Romanos Artifices evocarint. Id vero tanti non valet, quin putemus ſaltem cum Græcis, Romanos Artifices profeciſſe.

(1) *Tuſcul. L. I. n.* 3.
(2) *L. XXXV. c.* 4.

ſe . Denique quod ad Muſicam pertinet, ea ſummo in honore apud Græcos fuit, in qua Viri principes Epaminondas, Themiſtocles excelluere. Romæ autem cum Romana gravitate eam pugnare, & Orientis mollitiei potius convenire, putatum eſt: Quare e Græcia Romam aſportata, apud Servos manſit. Lucius enim Anitius, debellatis Illyriis, victoriæ cauſa, ſcenam in Circo extruxit, & primus tibicines Theodorum Bæotium, Theopompum, Hermippum, Lysimachum, e Græcia claros, induxit. Deinde ſervi & familiares eam, quiſque pro ſua arte, exercuere: quique Servi *Symphoniaci* dicebantur: Hinc Capitolinus: *Adduxerat ſecum & fidicines, & tibicines, hiſtriones, ſcurraſque, mimarios, & praeſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria, & Alexandria paſcitur voluptate* (1) Neque honeſtiores denique Tibicinæ, & Præficæ, quæ venales in conviviis, & funeribus proſtabant. Horum autem om-

(1) *In Vero*.

omnium & Collegia extitisse, veteres Auctores, atque marmora testantur.

CAPUT III.

Romanorum JCtorum Philosophia minime a Stoicis derivavit.

REfutaturo mihi vulgatam opinionem de Stoica veterum Romanorum Philosophia, opportunum videtur quasi in limine, Stoicorum mentem, atque mores, ab eorum Prudentum indole, atque ingenio abhorrentissimam, ex Antiquitate depromere. Et Athenis quidem, cum post tempora Periclis summa morum corruptela grassaretur, & Philosophi de morali doctrina minus essent solliciti, Socrates ille eam e coelo evocavit, & de rebus ad mentem humanam, societatem civilem, moresque hominum, pertinentibus, quibus felicitas mortalium reapse continetur, philosophari coepit. Sed obstrepentibus adhuc luxu, atque lubidine, Antisthenes, unus e So-

Socratis discipulis , parum vel nihil proficere posse ratus, virtutem inculcandam potius rebus ipsis, & factis , quam præceptis, regulisve constituit. Quare etsi Socrates duram vitam selegisset, ipse tamen longe asperiorem secutus est: barbam itaque promisit , tunicam abjecit, detritum pallium ita composuit, ut in sinistro humero duplicatum , dextero vero ita subjectum haberet , ut ipse humerus nudus & exertus extaret; peram quoque, atque baculum mendici instar assumpsit. Ita præparatus omnes eloquentiæ nervos ad corripiendos malos, exagitanda vitia, & commendandam virtutem, intendit; idque solo reprehensionum, dictorumque acumine. Disputavit in Gymnasio Cynosarges extra urbis mænia , ex quo ejus Secta *Cynica* .

Diogenes, qui Cynicus, Antistheni in disciplinam se dedit, atque Cynismum, quod ille professus erat, longius produxit . Cum namque cognovisset hominem non sibi solum nasci, sed & patriae, cæterisque omnibus, quare virtutem mature sibi comparandam consti-

ſtituit, ut validis inſtructus viribus, ſuis atque cæterorum malis occurreret. Cum vero præcepta, quæ in mente noſtra agitantur, illam egredi non ſoleant; atque adeo affectibus, qui ex humana conſtitutione proveniunt, mederi nequaquam poſſint; putavit potius corporis veluti fabricam immutare, ut illud quod univerſarum affectionum ſubjectum exiſtit, iis alienum foret. Pedibus itaque nudis, demiſſa barba, palliolo duplicato involutus, peram pro obſoniis geſtans, per urbem vagabatur. Nullum apud eum erat locorum diſcrimen, ſive comedere, ſive dormire, ſive loqui vellet: hinc dicere ſolitus, publica Athenienſium loca extructa, ut ipſe inhabitaret. Edixerat ad amicum ut caſam ſibi conſtrueret, quod cum ea qua vellet celeritate non eſſet actum, dolium pro caſa ſelegit. Æſtate fervente arena volutabatur, nive rigentes ſtatuas hyeme amplectebatur, dictitans ita tolerantiam acquiri. Mendicus ſtipem per urbem quæritabat, ut viliſſima obſonia, ad vitam ſolum compararet. Diogenes ita-

que

que humanis quasi curis exemptus, ad suam, totiusque humani generis felicitatem intendebat. Temperantiam autem virtutem esse principem, optime ratus, eam ad extremum usque servabat, dum gravissimo cæteris esset exemplo. At Civium felicitati acrius studebat: nam quotidie in vicis & compitis peculiari arte eos convocabat, ibique non oratoriis calamistris, sed ipsius Naturæ vocibus, mores, vitia notabat, & remedia proponebat. Nulla autem contumelia, vel maledictum eum absterrebat, cur ad populum acrius disputaret. Sectatores habuit bene multos, inter quos Monymus Syracusius, Onesicritus Æginensis; Crates Thebanus, a quo Zeno. Hæc itaque Cynicæ sectæ fundamenta: *Virtutem sufficere ad beatam vitam. Eam in rebus, factisve esse, non verbis: sapientem sibi satis esse: ejus enim omnia: nihil ei novum: Regem esse: non ad legem, sed virtutem vivere. Sola bona pulchra; mala, turpia:* denique; *finem hominis, secundum naturam vivere.*

A Diogene qui Antisthenis auditor fuit,

fuit, profluxit Crates Thebanus, a quo Zeno Cittieus, Cittii natus: Hic Stoicam Sectam condidit; quæ proinde Cynicæ propago fuit. Oraculum Zeno consultus, accepit, vitam sibi in terendis Antiquorum libris esse agendam: quare opportunitate facta, ad Cratetem se contulit, ejusque animum admiratus, ei mordicus adhæsit: deinde ad Stilponem per decennium divertit, hinc ad Xenocratem, denique ad Diodorum Cronum, cujus dialecticæ studio omnino vacavit. Ita ex corrasis aliorum doctrinis, novum philosophiæ systema conflavit, ex quo sectam erexit. Fuit autem Zeno natura acerbus, & morosus, & temperamento melancholico, & cholerico; eam temperamenti conditionem augebat disciplina Cynica, austeris quidem & superbis etiam præceptis, ad magna, et excelsa, sed tristia, & acerba, animum formans. Incedebat itaque facie gravi, & severa, & supercilio adducto; facilem tamen se omnibus præbebat: a fastu erat alienus: rem familiarem summa frugalitate curabat: Cynicam car-

carpendi, & redarguendi artem mire temperabat. Cynicum vestitum servavit; nam retenta tunica, pallium quoque duplicavit: quam vestitus rationem Stoici deinde tenuerunt, eandemque vultus gravitatem, & austeram magistri faciem affectantes. Zeno itaque sic in Platonicorum, Eristicorum, & Cynicorum Scholis institutus, ad suum Systema non modo Platonis doctrinam compilavit, Pythagoræ Physiologiam, Diodori Croni dialecticam, Cynicam vero Sectam ita, ut totam fere in suam transtulerit. Omnis itaque Stoica virtus ex Cynosarge profluxit, eo discrimine, ut naturam vincere Stoici, excedere conarentur Cynici; reliqua omnia ambobus communia. Quare Laertius (1), communionem & societatem quandam esse, dixit, his duabus Sectis, & Cynismum esse brevem ad virtutem viam. Cum autem Zenoni virtus triplex esset, triplicem quoque philosophiam fecit, naturalem, moralem, & rationalem.

(1) *Lib. VI.*

lem. Et quod ad rationalem attinet, eam in Rethoricam, & Dialecticam divisit: Hæc autem unice in subtilitatibus, rebusque exilibus, atque inutilibus ad nauseam conquisitis, versabatur. Hinc objectum iis a Cicerone; *spinosum disserendi genus, & quod vellant de spinis, atque ossa nudent, quodque pungant quasi aculeis, interrogatiunculis angustis, quibus etiam, qui assentiuntur, nihil commoventur animo, ut iidem abeant, qui venerant* (1): Idemque Seneca ipse agnovit (2). Quod ad physiologiam attinet, ea magnificis verbis summam prætetulit sapientiam, & fundamenta præbuit morali: Capita vero huc redibant. Mundum hunc componi ex materia & anima mundi, quo nomine ipsum Deum, hoc est ignem purissimum intelligebant. Cuncta Fato regi, cui ipse Deus sit obnoxius; Fati nomine intelligens rerum omnium immobilem, & immutabilem ordinem, aut

(1) *De Finibus L. III. 4.*
(2) *Epist.* 48.

aut vicissitudinem necessariam mundi creati, & increati. Perpetuas Mundi esse periodos, ita ut hoc Mundo per ignem destructo, & ad statum Mundi increati redacto, novus prodeat per seminales rationes, qui idem fatum sit subiturus. Mundi materiam simplicem, informem, atque immotam ab æterno extitisse, semperque extituram. Solem purissimum esse ignem, uti & cætera astra. Lunam ad terræ naturam accedere. Astra non errantia cum universo Coelo circumvolvi, errantia vero propriis motibus cieri. Animum hominis divinæ essentiæ esse particulam, hoc est animæ mundanæ, quæ in syderibus purior sit; unde ex Cœlo & æthere advenire, & in hanc essentiam iterum tandem confluere.

Physiologicis hisce principiis Doctrinam moralem Zeno superstruxit: cujus principia ita se habent. In vita hominis ante omnia respiciendum ad finem. Est vero finis, cujus caussa fiunt omnia, ipso ob quam sit, habente nullam. Finem hominis esse, naturæ convenienter vivere: Natura vero est lex,

 & ra-

& ratio totius mundi, agitans & vivificans omnia: Homo itaque, ex universo decerptus, vivere debet, ut partem totius decet, dispositioni, ordini, atque naturæ ejus se attemperando. Vivere autem secundum naturam, est vivere secundum virtutem: Sola igitur virtus sufficit ad beatitatem. Proinde quæ extra nos sunt, cum non ex virtute proveniant, idcirco nec honesta, nec beatitatem efficientia; ideoque prohibenda; ut corpus, possessio, gloria. Bonum itaque est, quod ex virtute est, & ad felicitatem perducit juxta naturam creaturæ rationalis. Idcirco omnia bona æqualia, & quodcumque bonum est, idem etiam appetendum. Bonum quoque neque incrementis, neque decrementis aptum. Licet autem solum bonum sit, quod honestum, malum quod turpe, existunt tamen inter hæc & illa, quæ indifferentia sunt. Anima libera est, ut agere queat, quod vult, neque enim extra quicquam est, quod jubere, vel cogere queat. Primus animantis appetitus est seipsum tuendi & servandi.

di. Hanc appetitionem ſequuntur rerum cognitiones, & inde deſiderium ea conſequendi, quæ ad conſervationem naturæ ſuæ pertinent. Actionum, quæ ab appetitu procedunt, quædam officia ſunt, quædam præter officia, quædam neutræ. Officium eſt actio vitæ conveniens, et naturæ dictatis conſentanea. Præter officium eſt actio, quam omittere ratio exigit; neutræ actiones ſunt, quas neque præcipit, neque prohibet ratio. Eſt Numen aliquod, quod rerum humanarum curam gerit, qui Deus vocatur: Deus itaque ante omnia colendus, per omnia cogitandus, in omnibus agnoſcendus. Porro eo tendere debet homo, officii erga ſe memor, ut ab omni affectu liber evadat, fiatque ἀπαθὴς, quem qui gradum conſecutus eſt, vir Sapiens eſt. Juſte, & ſapienter, ac cum ratione ſapiens ſe ex vita educet; neque hoc tantum in neceſſitate ultima faciet, ſed cum primum illi coeperit ſuſpecta eſſe fortuna. Summa officiorum erga hominem ſibi congenerem, conſtat dilectione omnium, etiam inimicorum. Peccata

 omnia

omnia paria sunt, quia verum vero magis tale non est, neque falsum falso.

Hæc Stoicæ Philosophiæ periocha. Quod autem in quovis Philosophiæ genere servandum, id religiosius in Stoica secta tenendum; scilicet ipsa dogmata non extra systematis nexum esse consideranda. Id namque a magnis viris neglectum, veram puto caussam, cur non modo Romanæ Jurisprudentiæ principia, verum & Sstæ Religionis nostræ præcepta cum Stoicis consonare vulgo putatum sit. Cum enim Stoici primi fuissent, qui derelictam a reliquis de officiis doctrinam, graviter profecuti essent, quique idcirco pietatem, bonitatem, virtutesque omnes ubivis inculcassent; factum est, ut viri magni nescio quos thesauros inspexisse putarint, qui intra Systematis nexum considerati, crabrones exhibebant. His accessit quod Stoici, qui post Christum natum floruerunt, Christianæ doctrinæ laude illecti, ad eam verbis, & externa specie moralem suam accomodarint,

rint, & meros errorum cumulos sub decoro apparatu exhibuerint. Probari id quam multis posset exemplis; sed ocium fecere Franc. Buddeus (1), Jac. Thomasius (2), Jac. Brukerus (3). Quod ad Jurisprudentiam pertinet, id eadem ex caussa omnino factum: Accessit vero & alia. Cum namque putaretur Romanam Jurisprudentiam ex diversarum gentium legibus, atque moribus esse collectam; ad eam conglutinandam, certoque ac rationali principio constringendam, omnino principiis Stoicis opus fuisse. Sententiam hanc jamdudum propugnavit Jacobus Cujacius *Observat. Lib. XXVI. cap.* 40.: confirmavit Em. Merillius *Observat. Lib. I. cap.* 8. & seqq. M. Aurelius Galvanus de *Usufructu cap.* 1. §. 1.: deinde Everardus Otto *Diss. De Stoica Jctorum Philosophia*: Jo:

 Sa-

(1) *Diss. de erroribus Stoicorum.*

(2) *De exustione mundi Stoica.*

(3) *Diss. De Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus, quæ extat Tempe Helvet. T. III. sect.* 2. *art.* 4.

Samuel Hering *Diss. De Stoica Veterum Rom. Jurisprudentia*, aliique, quorum opuscula in unum collegit Gott. Slevogtius, libello Jenæ edito an. 1724. *De Sectis Jctorum &c.*

Tantum autem ut pro dignitate ab hisce viris negocium posset confici, conferenda quidem fuissent Stoicorum dogmata, ex illorum sententia ex dependentia ipsa intellecta, cum jurisprudentiæ principiis; non quidem cum iis, quæ sermonis *incidentia* dicuntur: Una enim est veritas, una proinde Philosophia: cum vero diverso aspiciamus lumine, fit ut diversas per semitas incedamus; probandum itaque esset Stoicos æque ac Jctos eandem semitam ingressos. Jurisprudentiæ autem principia vel ad Philosophiam moralem, politicam, oeconomicam; vel ad voluntatem referuntur: Legislatoris vero voluntas cum moribus ipsius cohæreat, fit ut nostræ jurisprudentiæ principia, vel principiis moralis theoreticæ Stoicorum, vel morum practicæ convenire oporteat. Videamus itaque num deformissima, atque ampullata il-

ta illa Stoicorum, prout in Syſtemate ipſo apparent, cum ſimpliciſſimis juriſprudentiæ congruant. Conferamus quæſo barbaram illam, ac illiberalem morum actionem, hypercriticam illam ſuperbiam cum graviſſima Romanorum prudentum majeſtate. Expendamus denique num Stoica diſciplina præ cæteris Romæ floruerit, & num juriſprudentiæ principibus arriſerit. At contra ea ita mihi probari poſſe autumo, ut adverſus Eruditos omnes adſtruam, ne hilum quidem e Stoa in juriſprudentiam derivaſſe.

Ut autem a poſtremo ordiar, videamus, num Romani Jcti præ cæteris Stoicam adamarint. Et quidem ſi eorum hiſtoriam percurras, vix Q. Tuberonem, Sex. Pompejum, Q. Mutium Scævolam invenies, qui in Stoicis verſati ſint: Cæteri omnes nullum quaſi philoſophiæ genus ſubolfecere. Vix Cato ille Cenſorius Pythagorea didicerat; & Appius Claudius Cæcus (quos ambo memorat Pomponius (1)

 car-

(1) *L. 2. ff. de O. J.*

carmine, quod Ciceronis ævo extabat, Pythagoricum se quoque prodidit. At qui quæso fieri posset, ut in illa tam longa prudentum successione, ejusdem philosophiæ dogmata servarentur, quæ a nullo Doctore explicata, neque in libris, neque scholis extarent. Romani rati his studiis rem suam perdituros, ea aversati sunt: Cum aliquid temporis incurrisset, de iis cognoscere erat volupe, quod fuse cap. II. probatum. Nec me movet Cl. Brukerus, dum existimat ad hoc satis fuisse consuetudinem illam, quam patricii viri Scipio, Laelius, Furius, L. Philippus, & C. Gallus cum Panætio habuere, ut ad eorum exempla, atque doctrinas, viri publici se accomodarent: Ii enim neque Sapientiæ Civilis, neque Stoicæ principes fuere; neque ætatis suæ lumina dici omnino possent. At regeres Jctos non prorsus Stoicis adhæsisse, sed illorum philosophiæ moralis ædificium, ad naturæ simplicitatem redactum, admisisse. At quid quæso id esset, quam e Naturæ fontibus purissimam Sapientiam haurire,

Phi-

Philosophia circa veritatem est: una autem veritas: hominum intelligentia varia; idcirco in quaque Secta, quæ peculiaria sunt, naturalis rationis additamenta sunt; quæ si demas, Sectam illam ad Naturam compones. Cur itaque Brukerus Paganinum Gaudentium accusat, dum ait, illum *perfectum* sapientem, cum *incipiente*, quales Jcti, confudisse: nam quid esset τὸ *incipiens sapiens*, quam sapiens phaleris, & ampullis Stoicorum destitutus? Quod si ita omnes acciperent, jam per me nulla lis de hoc amplius esset. At rem ipsam prosequamur.

Jam Cynicorum petulantiam, & Stoicæ sectæ, ab iis prognatæ, indolem, atque ingenium delibavimus. Modo fundamentum heroicæ eorum virtutis perscrutemur. Homo quadam vi animis insita ad felicitatem fertur; omnis autem felicitas in re præsenti locata est: nos enim nihil nisi præsens afficit: Si itaque malis aliquando occurrimus, illud agimus ut bonum tandem, quod longe conspicimus, assequamur: mala

ver o

vero illa ad bonum minoris inæqualitatis rationem habeant oportet. Videamus nunc quanam luce collustrati Sapientes illi, ita affectus compescerent, vitia emendarent, vitam denique ad exactam normam exigerent; dum nihil majus sibi esset expectandum; cum universi hominum animi, ab Anima Mundi decerpti, necessario ad eam redirent, cum eaque coalescerent. Illud reliquum est, ut putemus vel eos quid præter humanum habuisse, quod dici nequit; vel prava ambitione, cæterorum reverentiam, cultumque affectasse (1). Idque illud confirmat, quod vel a cæteris remoti pessimam facerent libidinem, vel eam in se commendarent; & a qua Diogenem liberare frustra hactenus tentatum. Itaque divitias, bonam valetudinem, potentiam, honores, omnia denique quæ existimationem hominum pariunt, contemnebant: cæteros pro instituto allatrabant. Et Dio-

(1) ESPRIT *de la faussetè des V. H. P. II. ch.* 21. *p.* 192. *seqq.* STOLLE *Hist. phil. mor. gentil.* §. 83. *p.* 120.

Diogenes quidem in omnes acriter invectus est. Stoici eam redarguendi artem tantillum temperarunt. Cynici sordidum illud vestimenti genus habuere: Stoici vili habitu incedebant, barbam promittebant, ad cutem deradebantur, pallidique, ac subtristes apparebant. Diogenes frigus, atque æstus ultro perferebat. Cleanthes Stoicus noctu in hortis aquam hauriebat; & fæminæ farinas pinsebat. Denique inter insolentium istud hominum genus illud fuit discriminis, ut Cynici naturam superare, Stoici vincere dicerentur.

Hoc fundamentum Stoicæ Sapientiæ: ex quo Sectæ principia derivarunt, quæ modo cum illis jurisprudentiæ essent conferenda. Hæc autem principia vel a Ratione, vel a Voluntate sunt: priora universalia sunt, atque immutari nequeunt; non item alia: Et præcipua illa sunt: *Honeste vivere*: *Alterum non laedere*: *Jus suum cuique tribuere*. Stoici tamen Rationem ipsam aliter interpretati, principiis quoque illis quæ ab ea essent, utpote turbulento ex fonte derivatis, vel dubiam,

atque

atque ancipitem, vel impiam quoque doctrinam obvolvere. Et quod ad primum: Unde promanarit, docet Cicero (1): *Stoicis finem bonorum esse consentire naturae, quod esse volunt cum virtute, id est, honeste vivere, quod ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligente ea, quae essent secundum naturam, rejiciente contraria*. Quis autem non videt principium istud de se Naturæ attemperando, incertam, atque periculosam humanarum actionum normam existere; quæ scilicet, vel in plurimis deficiat, vel in pessima adducat. Quod ad reliquos pertinet: inculcabant quidem: Hominem teneri sibi congenerem diligere, quod esset eum beneficentia prosequi, abstinere injuria, in commune bonum se exhibere, idque neque laudis, propriive commodi gratia. At fluebat principium istud ex afferto illo, Mundum unam Civitatem, unam patriam, cunctos esse partes universi; a quibus nemo se sepa-

---

(1) *L. II. III. De Finibus*.

ſeparare poſſit, niſi communitate tota excidere velit: Deus enim ſpatioſa extenſione per totum mundum diſperſus eſt; & nos omnes neceſſaria eſſentiæ ſuæ agitatione non movet tantum & format, ſed & ceu forma rerum, ita eſſentiali vinculo illa complectitur, ut neque ipſe ab iis ſeparari, neque inter ſe poſſint. Igitur quæ magnanima videntur, praviſſimam in receſſu continent impietatem. Reliquum modo eſt ut ad principia illa nos conferamus, quæ a Ratione, aliquali arbitrio immutata, pendent; illaſque ſententias, quæ tanquam ex adverſo Syſtematis fundamenta proponuntur.

Ulpianus in L. 1. §. 3. ff. de J. & J. jus Naturæ definiens.

Stoici Deum eſſe ignem ſubtiliſſimum Naturæ ſive Mundi omnia penetrantem, & vivificantem, quem Animam Mundanam dixerunt, a qua non modo humani animi eſſent decerpti, ſed omnium quæ in cælo, aëre, mari moventur: Idque Stoici Atheiſmi palmarium eſt. Ceteri vero Philoſophi ut Peripatetici, & recentius Carteſiani aliter de Bru-

Brutorum animabus ſenſerunt, & primi eas materiales, & materiali cognitione præditas; alios vero machinas eſſe proprii mechaniſmi vi agentes. Cum itaque Ulpianus hic loci juris cognitionem brutis attribuerit, eorum ſententiam ſecutum eſſe putandum eſt, qui Animata bruta putaſſent. At tanto molimine opus non eſt. Congerit hic Tribonianus ea Veterum fragmenta, quæ jus omne partirent, definirentque. Et primo ſtatuit jus Naturae eſſe *quod Natura omnia animantia docuit*. Τὸ autem *animans* & hominem quoque comprehendit: Igitur quædam ponit quæ & homo & cætera Animantia agerent; eaque relate ad hominem dicit eſſe juris Naturæ: Homo quidem agens ratione præfulgente: Bruta ea ratione, qua fortaſſe non carent. Illud certum eſt Bruta quam multa agere, quæ homo ex recta ratione ageret: ea itaque Ulpianus dicit ſibi venire ſub Jure Naturæ; cetera vero aut ad Jus gentium, aut Civile pertinere. Neque regeres Rationem eſſe, principium juris Naturæ, qua carent animalia: nam

ea

ea carere, dici vix poteſt. Cæterum quid Ulpiano intereſt, ea ex ratione agere, vel alio, ſi fieri poſſet principio; ſat enim eſt ut ea agant.

Florentinus in L. 3. ff. de J. & J. cognationem inter homines ſtatuens.

Præceptum juris naturæ de altero non lædendo a J.̇tis receptum, nuper ex Ulpiano innuimus. Hoc ipſum exſcripſit Florentinus in *cit. L.*: *hominem* ſcilicet *homini inſidiari nefas eſſe*. Cum enim Natura nos pares fecerit, noſque conſervari voluerit, fit, ut alter alterum æquo amore teneatur; quo pertinet illud Florentini: *Naturam cognationem quandam inter homines conſtituiſſe*. At non ex ſimplici iſto principio, ſed ex ancipiti, & ficto illo Animæ mundanæ, omnia complectentis, ut nuper indicavi, cognatio illa Stoicorum promanavit; quam & Tullius, deinde Seneca, Libanius, M. Antoninus proſecuti ſunt. Nil itaque eſt, quod Florentino ex Stoicis tribuamus.

J.̇to-

Ita Seneca. *Video istic diplomata & syngraphas, & cautiones, vacua habendi simulacra, umbras quasdam avaritiae laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentium. Quid enim ista sunt? Quid foenus, & Kalendarium, & usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina?* (1) Huic consonare Pomponium hactenus putatum est: *Usura pecuniae quam percipimus in fructu non est, quia non ex ipso corpore, sed ex alia caussa est, id est nova obligatione* (2). O quam diversa! Stoicus illic cupiditatem hominis insectatur: JCtus fundamentum usurarum in jure civili: aitque usuras neque naturalibus, neque civilibus fructibus accenseri; quia res ipsa nullum fructum, nullamque utilitatem parit, nisi aliquod hominis factum accedat, h. e. usus; de quo vel contrahentes, vel judex pro caussis constituent. Et qui-

(1) *De Benef. L. VII. c.* 10.
(2) *L. Usura* 121. *ff. V. S.*

quidem in contractibus stricti juris usuræ non debentur, nisi promissæ: In bonæ fidei ex mora quoque. Cæterum quis neget cum Stoicis, naturæ abhorrere fœnerationem, cum fiat quæstus ex ipso numo, non ex eo, cujus gratia repertus est.

Jctorum sententia de fœtu adhuc in utero.

Stoici putabant animam non in utero concipi, sed effuso jam partu, nondum vivo infanti imprimi. (1) Anima itaque nonnisi nascenti infanti insinuatur, uti Lactantius (2): quare fœtum in utero non aliter crescit, quam planta; ab eo postea decidens, sicut maturi fructus ex arboribus (3). Tria autem ex libris juris afferuntur loca, quibus consensus veritas adstruitur. Et Ulpiani primus in *L.* 1. *ff. de insp. ventre*: *Partus antequam edatur mulie-*

 ris

(1) *Tertull. de Anima c.* 25.
(2) *L. III. c.* 10.
(3) *Plutarch. de plac. phil. L. V. c.* 15.

ris portio est, vel viscerum. At locum hunc ad regulas artis revocemus. Fuit Romae SCtum Plautianum de liberis agnoscendis, de quo Titulus in Pand. quo maritus post divortium tenetur filium, quem in utero gestabat uxor, agnoscere, ut alimenta præstet: & uxor infra mensem se prægnantem esse, marito denunciare. Quid itaque si mulier se prægnantem dissimulet (casus est Ulpiani), vel etiam neget? SCto locus non erit; nullo enim modo apparere is poterat, qui in rebus humanis adhuc non erat, dum potius pars viscerum esset: *Post editum plane partum a muliere, jam potest maritus jure suo filium per interdictum desiderare, aut exhiberi sibi, aut dicere, permitti extra ordinem*. Papiniani est alter in *L. In Lege Falcidia ff. ad L. Falcid.* ubi scribit: *Fructus, qui maturi mortis tempore fuerunt, augere hereditatem fundi nomine, quia videtur illo in tempore fuisse pretiosior. Circa ventrem ancillae nulla temporis admissa distinctio est, nec immerito: quia partus nondum editus, homo non recte fuisse dicitur*. Ait Pap.

Pap. fructus maturos augere hereditatem fundi nomine, quia quid præter fundum esse videntur, cum & percipi, & separari, & verti ad usum possint; aliter si pendentes; nam tunc pars fundi sunt (1). Itaque partus ancillæ si maturus mortis tempore esset, augeret hereditatem. Videamus modo quo tempore fœtum maturum dicatur, ut in usum venire possit; & quidem cum editum fuerit, h. e. cum homo erit, cum antea recte homo dici nequeat. Denique in *L.* 7. *ff. de ven. in poss. mitt.* ea occurrit Ulp. locutio: *eum qui in utero est, in rebus humanis non esse*, cum ea agere nequeat, quæ homines agunt. Itaque quid ex adductis Ulp. & Pap. sententiis conficiemus? fortasse fœtum animam recipere cum editum demum fuerit, ut Stoicorum opinio ferebat; vel potius talem non esse, ut inter homines apparere possit, saltem qualis ad humanas actiones desideratur; vel denique, ut commu-

G 2 ni

(1) *L. Fructus* 45 *ff. de R. V.*

ni ſententia Phyſiologi, veluti reliqua matris viſcera ſe habere, cum & eodem modo nutrimentum capiat, atque naturam, proprietates a ſanguine materno agnoſcat?

An ſit αὐτοχειρία apud Neratium in L. liberorum 11. §. non ſolent ff. de his qui not. infam.

Palmarium eſt in Stoica Ethica αὐτοχειρία, tum quia vita inter indifferentia eſſet; tum etiam quod interdum nexus rerum ita poſtularet, ut ſapiens ultra vivere in commune bonum non poſſet. Ex hac doctrina, Neratii ſententiam profluxiſſe putatum eſt: *Non ſolent lugeri hoſtes, vel perduellionis damnati, nec ſuſpendioſi, neque qui manus ſibi intulerint, non taedio vitae, ſed mala conſcientia*. Quid ergo? Fortaſſe tædio vitæ licebit manus ſibi inferre? Mortem quis ſibi poterit conſciſcere vel ob conſcientiam patrati criminis, vel præ animi angore: ſi primum, tunc tanquam confeſſus, & damnatus, ipſe de ſe ſententiam

tiam tuliſſe videtur (1): ideoque neque teſtamentum, nec quælibet voluntas valebit, neque heredem habebit, ſed fiſcus bona vindicabit; corpus cruci affigitur; neque lugebitur: Hinc Varro apud Servium: *ſuſpendioſis* (h. e. qui ſuſpendio vitam finierunt) *juſta fieri jus non eſt*: & eorum nomina apud Græcos in parentalibus, & funebribus epulis haud ciere fas fuit. Alii ſunt ſtulti ac miſeri, qui vel adverſa valetudine, vel ære alieno conflictati, morti ſe tradunt; quæque *mors conſcita* dicitur Marciano in *cit. L.* §. *ult.* hique tanquam viri non viri habentur: eorum vero teſtamenta manent; ſi non teſtati ſint habent legitimos ſucceſſores (2); eorum corpora humantur, memoria lugebitur (3): Si autem factum non peregerint, ignominia

(1) *L. ult.* §. 1. *ff. de bon. eor. qui ante ſent.*

(2) *L. ejus* 32. *ff. de milit. teſt.*

(3) *Cit. L.* 11. *de his qui not. inf.*

minia plectentur (1).

Proculejani arithmeticam proportionem secuti.

Ratio est duarum homogenearum magnitudinum secundum quantitatem ad se invicem quædam habitudo: Ita Euclides *L. V. Elem.* At magnitudines & circa quantuplicitatem, & circa excessum in hac ratione conferri possunt: si primum consurget ratio geometrica: si alterum arithmetica. Sint modo duæ rationes vel geometricæ, vel arithmeticæ; easque inter se conferamus: & geometricam quidem geometricæ æquari dicetur, cum quoties in prima ratione, prima quantitas alteram continet, toties in secunda prima continet tertiam: arithmeticam vero cum quo excedit prima secundam quantitatem, eodem tertia, h. e. prima secundæ rationis, excedit quartam. Hæc Rationis mathematicæ idea, cujus vocabula ex Aristotele primus Hugo

(1) *L. omne §. qui se. ff. de re milit. L. si quis aliquid* 38. *§. ult. ff. de poenis.*

Hugo Grotius in jus Naturæ invexit, quæ expendere hujus loci non eſt. Illud modo expendamus quo nos revocant Eruditi. Hi laudant primo *L.* 23. *C. de legatis*, ubi de exæquandis legati partibus agitur: at quid rationis arithmeticæ illic eſt? Fortaſſe meliora eſſent, quæ de delictorum æqualitate ex Stoicis Ulpiano tribuuntur? At in eo mirum quidem, noſtros, neque Stoicos penetraſſe, neque ad juris principia attendiſſe. Et Stoici peccata omnia paria dixere; nam qui peccat a recto utique abeſt: Sunt autem talia ſi formaliter conſiderentur, quatenus nempe a virtutis via recedunt, quæ nonniſi una eſt; non vero ſi materialiter expendantur: Rem explicat Chryſippus apud Stobæum. *Feruntur, & manant omnia ab uno malitiae fonte, judicio in omnibus peccatis eodem, ideſt pravo, ſed per cauſſam externam, circa quam judicia perficiuntur, diſſimilia redduntur peccata in qualitate* (1). Id ſapienter Plato edixerat: *Si quis aliquid*

(1) *Eclog. eth. p.* 183.

quid publicum furatus fuerit, *five parvum*, *five magnum id fit*, *pari fupplicio puniatur*. *Nam qui rem parvam fuftulit*, *etfi minori vi*, *quam qui magnam*, *rapuit*, *aequa tamen cupiditate furatus eft* (2). Ex hoc juris publici principio confecta eft Romanis regula juris *In delictis voluntatem potius*, *quam exitum fpectari* : quæ traditur a Papiniano in *L. Fraudis* 80 *de R.J*, & ab Hadriano apud Calliftratum in *L. Divus* 14. *ad L. Corn. de ficar.* & denique ab Arcad. & Honor. in *L. quisquis C. ad L. Jul. Majeft*. Ulpianus autem in *L.* 21. *de furtis*, qui locus ad exemplum affertur, nos docet quæftionem fuiffe, an is, qui ex acervo modium fuftulerit, totius modii furtum faciat, an vero ejus tantum quod abftulit : Et Ofilii fententiam obtinuiffe fcribit, quæ ferret, eum totius acervi furem effe; ita tamen ut in tantum furti actione teneretur, quantum abftulerit. Duas diftinguit Ulp. in delicto obligationes, reparationem; & pœnam:

(2) *De Leg. Dial.* 12. *L.* 34.

pœnam: prima læsum jus privati, altera læsam societatem publicam spectat. Prima damno, altera actus vitiositati, quæ eadem semper est, respondet. Hujus autem in *cit. L.* eam suggerit rationem, quæ Trebatio placuit, scilicet, qui aurem alicujus tangat, totum hominem videri tetigisse. Hæc autem aut allusio est, ex eo deducta, quod is, qui partem hominis tangat, cum eadem ratione partem alteram posset, totum hominem videri tetigisse: aut una est ex impropriis rationibus aliquando a J&tis allatis, quarum exempla vide apud Cujacium *Obs. Lib. XVII. cap.* 15. Fornerium *Rer. quot. Lib. III. cap.* 23.

Cur J&ti verborum studio vacarint.

Primam Stoicæ Philosophiæ partem occupat Logica; quæ in duas deinde dispescitur, Rethoricam, & Dialecticam: Rethorica est ars bene dicendi apposite ad persuadendum: Dialectica est disserendi scientia, quæ interrogando, & respondendo absolvitur. Utrique operam navasse Zenonem, jam innuimus.

mus. Cum vero nova omnia, ac insolentia placerent, ita in verbis fuit, ut generatim verborum, non rerum inventorem diceres: In illis autem exquirendis adeo perdite conatus est, ut *ignobilis verborum opifex* dicatur Tullio (1); & ejus turba falſe quidem traducatur a Comico apud Athenæum:

Audite Porticenſes, mercatores nugarum,
Verborum arbitri, & cenſores (2).

Inter Zenonios autem emicuit Chryſippus, vir acri ingenio, qui ad inſaniam rem perduxit: Omnia Tullius: *In enodandis autem nominibus, quod miſerandum ſit, laboratis. Saturnus quia ſe ſaturat annis: Mavors, quia magna vertit: Minerva, quia minuit, vel quia minatur. Venus quia venit ad omnia. Ceres a gerendo. Quam periculoſa conſuetudo? in multis enim nominibus haerebitis. Quid Vejovi facies? Quid Vulcano? Quanquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nul-*

(1) *Tuſcul. Qq. L. V.*
(2) *L. XIII.*

nullum erit nomen, quod non possis una littera explicare unde ductum sit. In quo quidem magis tu mihi natare visus es, quam ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam, primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus commentitiarum fabularum reddere rationem, vocabulorum cur quique ita appellati sint; caussas explicare. Quod cum facitis, illud profecto confitemini, longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit (1).

Inquiramus modo de caussa cur Romani Prudentes in verbis quoque fuerint, veluti *qui in omni jure civili* (ita eos exagitat Tullius) *relicta aequitate, verba tantum retinuissent.* Illam duplicem statuo: Exactam *juris constituti intelligentiam*: Optimam *obvenientis administrationem*. Et constituti juris capita sunt Leges XII. Tabul., Magistratus Edicta, Populi Leges, Imper. Rescripta: Jus obveniens consistit in Contractibus, Testamentis, Actionibus. Et Romani quidem cum inter fini-

(1) *L. III. de Nat. Deor.*

finitima odia, atque invidias ad summum pervenissent, illud unum agebant ne quid majestas, atque Pop. R. magnitudo detrimenti caperet. Itaque ut perpetuo ea illibata maneret, & Civibus metus, exteris reverentiæ esset, omnibus pene vitæ actibus sollemnem, quam *quiritariam* dicerem, verborum formam adscripserunt. Id autem cum ad reipublicæ concordiam esset opportunum, accessit, quod illud ipsum ad privatorum jura statim perspicienda (quod cæteroquin eodem vergeret) mire inserviret. Quare non modo in ferendis legibus, in testamentis, adoptionibus, in actionibus in judicio proponendis; verum in manumissionibus, nuptiis, & fere omnibus privatis negotiis decoro ritu, verbisque ad majestatem compositis usi sunt.

Et ejectis Romæ Regibus, eorumque legibus exoletis, missi quidem sunt sapientes viri conquisitum meliores leges, quas sibi Græci, & Lacedemonii sanxissent; easque Romam asportatas cum aliquot patriis moribus in XII Tabu-

Tabulas retulerunt. Hæ autem cum tanquam universæ sapientiæ fontes civibus proponerentur, conceptissimis formulis, & ut prisca illa ætas ferebat, angustissimo verborum ambitu complexæ sunt. Cum vero ante Augusti tempora jam XII. Tabularum sermo obsoleviſſet, ut Horatius, Gellius testantur, jam ex obscurissimo dicendi genere vix sensus patebat. Hinc Antistius Labeo, sui temporis in jure maximus, *in Grammaticam, & Dialecticam, litterasque antiquas, altioresque penetraverat, & Latinarum vocum origines percallens, ea praecipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur* (1). Qui sequiori ævo apud illos jus ex suis fontibus ministrarunt, eandem viam incedere necessum fuit, propterea quod nomina instrumenta rerum sint, ut fuse Plato (2): Et apposite Trebatius apud Celsum (3): *quorsum nomina, nisi ut demonstrent voluntatem dicen-*

(1) *Gellius Noct. Att. L. XII. c.* 10.
(2) *In Cratylo* (3) *L.*7.*ff.de supel. leg.*

centis? Verborum itaque proprietati adeo Veteres illi ſtudebant, ut Ulpianus ob nimiam verborum ſubtilitatem, *Venator nominum, & ſpinarum collector* dicatur apud Athenæum (1). Hinc in Libris juris ſollicite vidimus inveſtigata verborum etyma, ut *ſervi*, *teſtamenti*, *mutui*, *ſtipulationis*, *interdicti*, *furti*, & aliorum innumerum: Et in Digeſtorum calce perpetuus proſtat Titulus de *verborum ſignificatione*; quinque de *Legatis* Libri, circa verborum proprietatem præcipue verſantes: Et in compluribus Digeſtorum Titulis pars prior in expendendis verbis Edicti occupata eſt. Itaque doctrina de *Verborum originibus, & proprietate, juris voluntarii praecipua fax eſt*.

Modo ad formulariam Romanorum jurisprudentiam propius accedamus. Nihil tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ placuerunt ſervare: contra cum nihil inter homines grave, ſanctumque, quod non convellere conſueverit innata

(1) *Caſaubon. in animad. ad Athenaeum cap. 7.*

nata illa generi humano perfidia, Romani pactis nudis actionem denegarunt, statuentes ex certis tantum promissionibus jure nasci actiones, alias vero ab una promissoris fide, & probitate pendere. Cum enim quod nobis interius est, nullo sensu percipiatur, nec possit dignosci an quis per jocum, vel ex animi sententia promiserit, sollemnem modum cuique contractui perscripsere; ut qui illum adhibuisset, vellet, nollet, civiliter obligaretur. Contractus alii re, verbis alii, scriptura, consensu denique perficiuntur. Verbales i. e. stipulationes latius patebat, nam cæteri omnes ea confirmari, & in eam poterant transire: cum tota obligatio ex sola verborum conceptione promanaret. Adeo itaque sancta erat in stipulatione verborum relligio, ut si incongrue esset responsum, h. e. si alter rogaret pure, alter sub conditione promitteret, inutilis esset stipulatio. Quibus enim verbis stipulator præibat, eadem omnino ipsa referre promissor debebat. Verba ista erant latina, nam quæ propria essent juris Civilis,

vilis, nonnisi latine expedirentur: Hinc Jcti præsto erant, qui stipulationum formulas componerent: Audi Tullium ita ad Atticum: *Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac parietum jure? aut ut stipulationum, & judiciorum formulas componam* (1)? & idem sæpius notat in Topica; & luculentius pro Roscio Comædo. Vide Brissonium *de formul. & sollem. P. R. verbis L. IV.* in fin.

At quam sollemnius testamenta condita. Id autem & ex veteri testandi ritu, & ne captionibus locus fieret, profluxit. Et primitus quidem, cum testamentum esset nova lex, nonnisi in Comitiis calatis condi poterat. At post legem XII. Tabul. latissima potestas patribusfam. patuit, ut non amplius auctore populo, collegioque Pontificum quis de bonis disponeret: tamen Patricii, qui tanquam arcano potentiæ, juris formulis plebem sibi subjecerant, priscam illam testandi; ratio-

(1) *De Leg. L. I.* 2.

tionem recenter uſu exoletam, retinendam putantes, teſtamentum per *æs & libram* invexere. Hæc autem familiæ mancipatio ita conſtituebatur, ut anteſtatus & libripens cum quinque teſtibus, civibus Rom. adeſſet, quibus præſentibus, more majorum, imaginaria venditio fieret. Poſtea prolatis ceris teſtator ſolemne recitabat carmen: *Haec uti in his ceris ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor, itaque vos, Quirites, teſtimonium praebitote*. At Prætor qui juris rigorem ad æquitatem componebat, novum induxit teſtandi modum, quem *Praetorium* dixere, in quo & antiqua & novior contemperata formula, rituſque. Hinc factum, ut ſeptem teſtes adeſſe deberent, iique qui in comitiis eſſe poterant: uno contextu ſcribi oporteret: verbis imperativis, i. e. verbis legis heredem nuncupari, & alia ſexcenta: quæ ſi pertæſus teſtator omiſiſſet, ut Lucius ille Titius apud Scævolam, is voluiſſe non videbatur, quod enixe voluerat. Hinc non modo in concipiendis, ſed conſignandis quoque ta-

bulis adhibiti Jcti: Belle Cicero Scævolæ illudit: *Nam si nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus* (1). Adde Suetonium (2), & Arrianum (3): *& L. Lucius* 38. §. 17. *ff. de legat.* 2.

Denique quum Romani inter belli, & agriculturæ occupationes, litibus distineri minime paterentur; formulariam quoque jurisprudentiam ad forum traduxere; quasi per ambages viam expeditiorem, brevioremque nacti. Sive enim actor in jus vocaret reum, sive uterque litem contestaretur, id omne fieri oportebat solemniter, verbisque, quæ vel album Prætoris, vel fori disciplina sufficeret; iisque conceptissimis, & cum tanta in recitandis diligentia, ut qui formula ceciderat, ipsa caussa cecidisse videretur. Quanta cura vindiciæ postulaban-

(1) *De Orat. II.* 6.
(2) *In Neron.* 32.
(3) *Dissert. Epict. II.* 13.

bantur? Intenderat Actor: *Fundus qui est in agro, qui Sabinus vocatur, eum ego ex jure quiritum meum esse ajo, inde ego te ex jure manus consertum voco*. Is sollemne carmen reddebat: *Unde tu me ex jure manus consertum vocasti, inde ibi ego te revoco*. Prætor interea concepta quoque formula respondebat: *Suis utrisque superstitibus, præsentibus, istam viam dico: Inite viam*. Hinc litigatores, sapiente qui ad latus erat, duce, ludicrum iter faciebant per forum, quasi ituri in rem præsentem: Et paullo post audita a Tribunali voce: *Redite viam*; eodem duce redibant; Hoc vero confecto itinere, consertisque in speciem manibus, demum Prætor rem cui æquius videretur, possideri non sine formula decernebat. Denique Romani Magistratus, sive darent, dicerent, addicerent, semper sollemni ritu, verbisque conceptis usi sunt. Cujus ea fuit ratio tum ut majorum instituta servarentur; tum ut ex habitu, vultu cujusque jus pateret; tum denique ne Magistratus longo verborum syrmate

 di-

diſtinerentur. Atque hæc præcipua Rom. Juriſprudentiæ formulariæ capita. Cæterum quid publici, vel privati actum negocii, niſi ſollemniter? velut manumiſſiones, confarreationes, divortia, aliaque ſexcenta, quæ verbalem JCtorum meſſem valde locupletarunt.

A formulis & ſollemnibus verbis differunt *Termini Artis*, quos ex re ipſa deductos, JCti religioſius ſervarunt. Exemplo eſt: *Suus heres*: nunquam in: *heres ſuus*: commutandus: ibi relativum *ſuus* ad eum ipſum qui heres eſt refertur; hinc recte dices: *ego habeo ſuum heredem*; eum nempe qui ſibi ipſi futurus eſt heres. Alterum exemplum ſit: *bonorum poſſeſſio*: non confundenda cum: *poſſeſſione bonorum*: illa enim eſt ſucceſſio quam Prætor ex æquitate tribuit: altera corporalis rei apprehenſio, quæ facti tota eſt: de prima in tit. *de bon. poſs. ſec. & cont. tab.* de altera: *de acq. vel amit. poſs.*

Qui itaque in florentiſſima ætate ab Auguſto ad Conſtantinum extitere JCti, ii præter formulas, ac terminos artis, ita in verbis toti fuere, eorumque vi

vi atque originatione, ut eorum sermo nisi Latinæ linguæ recessus callenti pateat. Ita quidem, ut in tanta rerum sapientia atque sermonis gravi venustate, nescias *utrum prudentia an aequitas, scientia rerum an orationis dignitas præstet, & majori laude digna esse videatur. Deinde haec ipsa ita in unoquoque illorum omnia sunt egregia & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui praeferendum putes:* ita Laur. Valla (1): qui mox juris studiosos Virgiliano versu alloquitur: *O fortunatos nimium sua si bona norint*: tandem ita concludit: *tantum puto deberi hujus facultatis libris, quantum illis olim, qui Capitolium ab armis Gallorum, atque insidiis defenderunt: per quos factum est ut non modo tota urbs non amitteretur, verum etiam ut tota restitui posset*. Rem exemplo uno vel altero confirmare placet.

Prodeat primum Papinianus in *L. Quintus Mutius 7. ff. de ann. leg.* ubi ita: *In testamentis quaedam scribuntur,*

 quae

(1) *Praef. ad Lib. III. Elegant.*

quae ad auctoritatem scribentis duntaxat referuntur, nec obligationem pariunt: Tò *auctoritas* eleganter eo sensu est positum, quo apud Latinos: *Auctor tibi sum*: *Patres auctores facti.* Porro Tribonianus *Inst. de Usuf.* §. 3. ita scribit: *Finitur usus fructus non utendo per modum & tempus*: veteribus nostris negocium facessivit *τὸ per modum*, illudque intellexere de modo ab homine ad utendum præscripto; qua ratione novum quid afferret Tribonianus, nam qui servitute abutitur non eam amittit, sed ad id quod interest tenetur: Divinavit tamen Accursius: Tò enim *per modum & tempus*, valet per *modum temporis*, sicut Latini: *patera libamus*, *& auro*, pro *patera aurea*: & prisci testatores; *quae in his tabulis cerisve*; pro *tabulis ceratis*. Vide Vossium *Inst. Orat. L. V. c.* 4. His accenseam Modestinum in *L. si diutino* 25. *ff. de poenis*: *Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus poena ejus sublevanda erit*. Veteres Interpretes *Reatum* pro *crimine* accepere, ut si quis diutius in crimine versa-

re-

retur, levius esset puniendus, contra ac cautum in *L.* 1. *C. de cust. reor.* At *Reatus* erat status reorum, qui sordidati cum lacrymis, mœrore Civium misericordiam captarent. Vide Martialem *L. II. epig.* 24. Suetonium in *Augusto*: & denique Franc. Polletum in *Historia Fori Romani*.

Sed pene exciderat nobilis Ulpiani locus, qui ob voces e sacrorum penu depromptas, Interpretum omnium intelligentiam aufugit. Cl. Mazochius, Patriæ immortale decus, ex rei lapidariæ penetralibus, non sine acumine lucem Ulpiano restituit (1). Verba sunt in *L.* 5. *ff. de mort. inf. Si in eo monumento quod imperfectum esse dicitur, reliquiae hominis conditae sunt; nihil impedit, quominus id perficiatur. Sed si religiosus locus jam factus sit, Pontifices explorare debent, quatenus, salva religione, desiderio reficiendi operis medendum sit*. At obscurior locus est, quam fortasse videri possit. Et primo cur JCtus dicit: *In eo monumento quod* im-

(1) *De Dedic. sub Ascia. p.* 229.

imperfectum esse dicitur, & non brevius & concinnius more suo: *in monumento imperfecto*: At statim subdit cum particula adversativa: *sed si religiosus locus jam factus sit*: at quid hoc diversi a priore habet; nam statim ac reliquiæ hominis in monumento sunt conditæ, locus religiosus evadit (1). Denique impropria videtur locutio: *quatenus desiderio reficiendi operis medendum sit*: imperfecta enim *perficiuntur*, non *reficiuntur*. Et quidem Ulpiani illud: *sed si religiosus locus jam factus sit*: suspicionem facit, potuisse locum de quo agitur, religiosum non fieri, etiam post illationem reliquiarum: idque erit profecto si non in destinata sede ibi condantur, ut Paulus in *L.* 40. *ff. de relig.* Videamus modo num Ulpiani verba ad hunc sensum verti possint. Et *perficere* quidem apud Ulp. est *Inchoare*, *Dedicare*, *Consummare*, *rem* *sa-*

(1) *L.* 6. §. 4. *ff. de rer. divis.*

ſacram facere, ut ex Servio (1), & marmoribus conſtat. Itaque *ſi reliquiae hominis conditae ſunt in eo monumento*, *quod* (etiam poſt conditas reliquias, tamen adhuc) *imperfectum dicitur* (duplici intellectu, tum quia fabrica nondum eſſet abſoluta, quia *perfici* ex Ulp. debebat, tum quia nondum dedicatum, quippe tantum temporis cauſſa oſſa ibi forent depoſita), *nihil impedit*, *quominus id perficiatur* (quia adhuc profanum eſt): *ſed ſi* (in illo nondum abſoluta fabrica, juſtæ ſepulturæ traditus ſit mortuus, ideoque) *religioſus locus jam factus ſit*; *Pontifices* (ad quos de ſepulchris notio pertinebat) *explorare debent*, *quatenus ſalva religione*, *deſiderio reficiendi* (non perficiendi; quia etſi fabrica finita non eſſet, tamen ſepulchrum *perfectum* dialecto Pontificia dicebatur) *operis medendum ſit*. Vides nunc quantam lucem noſtri juris libri ex Inſcriptionibus mutuentur; quod jam fuſe demonſtrarunt Labit-

(1) *Æneid. VI. v.* 252.

bittus, Schmuccius, Brencmannus, Reinoldus.

Subtilem quoque ac nimiam verborum proprietatem ſæpe ſæpius ad Jctorum ſcripta opus eſſe, docet alter Ulpiani locus in *L. quoties* 9. §. *ſi quis nomen ff. de hered. inſt.* ubi contraria Marciano docet in *L. his verbis ff. eod.* Marcianus itaque in cit. *L.* ſcribit: *Illa inſtitutio valet: filius meus impiiſſimus male de me meritus, heres eſto; pure enim heres inſtituitur, licet cum maledicto; & omnes hujuſmodi inſtitutiones receptae ſunt. Receptas* dicit Jctus: id indicii eſt, de iis aliquando dubitatum, ſed tandem probatas. Eccur vero receptæ, cum contradictionem quamdam involvant, dum teſtator, quem indignum putat, honorat. Nonne potius inſanæ mentis eſſet dicendus, qui eodem tempore duarum veluti voluntatem compos ſit. Fortaſſe ſi cum tali convicio illum exheredaſſet, res rectior videri poſſet, de quo ſpecies eſt apud Ulpianum in *L.* 3. *ff. De lib. & poſth.* Sed dubitationem confirmat quod Ulpianus in

in *cit. L.9.* ſcribit: *Si quis nomen heredis quidem non dixerit, ſed indubitabili ſigno eum demonſtraverit, quod pene nihil a nomine diſtat: non tamen eo quod contumeliae cauſſa ſolet addi, valet inſtitutio*. Quid namque contumelioſius illo apud Marcianum, ubi pater filium *impiiſſimum*, & *male de ſe meritum* in ſuo elogio appellat? nugantur Interpretes: divinat Accurſius; qui putat diſtinguendum inter *contumeliam*, & *maledictum*: ego non modo inter contumeliam & maledictum, verum inter ipſas Jctorum ſpecies. Tractat ſiquidem Marc. de antiqua inſtitutionis formula, quæ dummodo imperativa eſſet, quibuſvis verbis fieri poterat. Ulp. vero de inſtitutione per ſigna conficienda, illudque potiſſimum requirit, ut ſigno indubitabili fiat; nam quid aliud nomen eſt, quam ſignum, ut idem innuit verbis illis, *quod pene nihil a nomine diſtat*. Contumeliam autem minime indubitabile ſignum eſſe affirmo; idque ex ejus intima ſignificatione conficio: contumelia namque injuriam ſignificat a *contemnendo* dicta, quam Græ-

Græci ὕβρις vocant (1). Contumeliosum itaque verbum eſt quod ex malo deſumptum in hominem honeſtum confertur, cæteroquin contumelia non eſſet; nam ſi latronem vocem qui fur eſt, non eum contumelia affecero: quadere contumelia non erit indubitabile ſignum, ut ait Ulpianus; ideoque incertum, an ei, cui imputatur, revera competat; cum contra non competere ex eo quod contumelia ſit, appareat.

Quanta porro a veteribus illis adhibita in Adjunctis, & orationis particulis diligentia! Exemplo ſit locus Pomponii in *L. Titiae* 36. *de legat.* 1. ubi de conjunctione legatariorum agit, deque jure, quod inde naſcitur, accreſcendi. Formula teſtatoris eſt: *Titiae textores meos omnes, praeterquam quos hoc teſtamento alii legavi, lego; Plotiae vernas meos omnes, praeterquam quos alii legavi, lego*. Cum eſſent qui-

(1) *L.* 1. *ff. de injur. Seneca de conſt, ſap. c.* 4.

quidam vernæ, iidem & textores, Pomponius ex ſententia Labeonis reſpondit, *communes ambobus eſſe*. Sed quid eſt cur Pomponius generali obſtet regulæ, quam tradit Papinianus in *L.* 81. *de R. J. In toto jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt*. Derogare apud Pap. eſt minuere genus, modum facere generi, & ratio ea eſt; quod ſpeciei adjectio indicium faciat voluntatis mutatæ, ſeu legati ademρti. Vernas eſſe omnes ſervos domi natos, non ære comparatos, conſtat: idcirco vernæ erunt genus, textores, vel curſores, ſpecies; ideoque hi illis derogabunt. Sed Papinianeæ regulæ, cui Pomponius obſtat, prorſus conſonat, quod in eadem ſpecie diſſerit Paulus in *L. Servis* 97. §. *ult. de leg.* 3. quæ proinde cum Pomponio manifeſtam continet antinomiam: Verba Pauli ſunt: *Si alii vernae, alii curſores legati ſunt: ſi quidam & curſores, & vernae ſunt, curſoribus cedent; ſemper enim ſpecies generi derogat. Si vero in ſpecie, aut in genere utrique ſint,* ple-

plerumque communicabuntur. Diversam voluntatem apud Pomp. ex adjuncto illo *omnes* satis manifestari puto: Testator scripserat: *Plotiae vernas meos omnes do, lego*: Hoc illud significat legasse Plotiæ vernas omnes, hoc est illos etiam quos legaturus esset Titiæ: velut quis scripsisset: *Sempronio lego fundum Tusculanum cum Corneliano*: *lego eundem Cornelianum Maevio*: Mævius cum Sempronio in Corneliano concurret, uti Titia in textoribus cum Plotia concurrit. Hæc conjectura prorsus abest a specie Pauli, ubi simpliciter genus & species legata videtur: Hæc quoque voluntatis conjectura facit ut Labeo, tamquam si de duobus generibus aut speciebus ageretur, dicat, non posse distingui, qui legato sit exemptus. Ad has itaque conjecturas pertinet illud Pauli: *plerumque communicabuntur*.

Habes jam caussas verbalis Jctorum Scientiæ. Hinc universa Philologia polito Interpreti summopere commendanda. Sat enim est Accursianos ob hujus præsidii defectum inter squallentem jurisprudentiam conspicere. Ea namque

que ætate fieri necessum erat, ut il ob imperitiam historiarum & latinæ proprietatis sæpe offenderent, sæpe laberentur, sæpe quovis potius, quam quo instituerant, pervenirent. Et mirum quidem est si in tam crebris peccandi periculis, sola ingenii acie non raro collineassent. Tunc enim rationi major dabatur locus: solos libros juris illi habebant nulla commentariorum mole perturbatos: Humana autem mens certos agnoscit limites, quos præterire minime datum est: & qui in litteraria republica mentem rebus consarcinant, earum pondere obruti, consequentiis inepti fiunt. Quare feliciori ævo vidimus Grammaticos in jurisprudentiæ rebus, ut Car. Sigonius, Paul. Manucius, Angel. Politianus, Ant. Nebrissensis, Ant. Muretus, & vicissim JCtos in Grammaticis ut Fr. Hotomanus, Ant. Goveanus, Bar. Brissonius, Jac. Cujacius, promiscue, & summa cum laude fuisse versatos: ut jam verum sit illud, quod initio proposui: *JCtum Philologiam inchoare,*

Car

Jam dixi alteram Stoicæ Logices partem Dialecticam constituere, atque Zenonem sub Diodoro ei tantam operam navasse, ut apud Zenonios tanquam virtus specie sua virtutes complectens haberetur. Et Chrysippus rem eo perduxit, ut ingenio atque arte fisus dictitaret, se doctrina dogmatum egere tantum, nam probationes a se reperturum; & vulgo jactabatur, quod si Dii vellent Dialectica uti, Chrysippea usuros. Itaque solius Logicæ partis volumina reliquit trecenta undecim. Fallacibus autem conclusiunculis persuadere nitebatur quæcunque & contra sensus essent, & contra omnia in consuetudine probata: quare sæpe in se replicabatur, & cum agere aliquid videretur, pungeret potius quam perforaret (1). Stoicorum exemplo putatum est Antistium illum Labeonem in Dialecticis ex Gellii quod nuper laudavi, & Scævolam ex Cicero-

(1) *Senec. de Benef. L. 1. c. 4.*

ronis testimonio (1), profecisse: Et ex Dialecticæ denique præceptis apud Jctos eas manasse conjunctionum, ac disjunctionum regulas, quarum exempla prostant apud Paulum, & Proculum in *L. conjunct.* 29. *L. saepe* 53. §. 1. *&* *L. haec verba* 124. *de V. S.*

Pudet me quidem, neque satis miror Viros summos ita sensisse. Veteres Zeno, Chrysippus, atque omne genus illud sapientum, cujus hoc Capite indolem præmonstravi, peculiare sibi dicendi genus selegere, quod reliquorum non esset; originationes vocum perscrutabantur; dicteriis, syllogismis pro sermone utebantur; sapientiam itaque verborum præseferebant. Aristoteles Stagirites ille cum sua Peripateticorum turba, putantes se omnium caussas posse aperire, monstruosis vocabulis Scientiam præcipue Naturalem conspurcavit, & syllogisticæ artis acerrime usum promovit, dum universæ veritates, & de quibus nulla esset controversia, ad barbaræ istius disputationis trutinam revocarentur.

I Quid

(1) *In Bruto c.* 41.

Quid itaque ineptius fingi posset, quam ex prava hujusmodi consuetudine arcessere quæ laudati Jcti sub *Tit. de Verb. signif.* docent? Subiiciuntur huic Titulo explicationes terminorum artis, quas præmittere ex Logicæ regulis oportebat.

Non miseram istam Dialecticen a Stoicis mutuati sunt Jcti; sed ipsius suæ artis necessitate optimas Dialecticæ regulas servarunt, quibus conditum jus *Explicarent*, *Componerent*, *Extenderent*. Cum autem illa ætate leges non ad eum numerum excrevissent, neque in certum ordinem essent redactæ, Civitatis Sapientes illi, fere semper vel obscura explicabant, vel omissa supplebant? Oppositas leges ad concordiam reducere, id rarius fiebat, ut apud nos sæpissime. Hæc cum arcanam adhuc Patricii artem servarent, At post Flavianam proditionem, non modo consulenti populo se præstabant, verum & scripto quoque jus tractare, & in Scholis cujusvis generis controversias ex industria fingere. Hinc aliqui ad latas leges commentationes scribere; alii Disputationes, alii Ambiguitates tractare; alii jus in Digesta,

sta, Institutiones disponere; alii denique aliis notas subnectere: ex quorum libris (qui indice Florentino exhibentur) Pandectæ conflatæ sunt. Cum itaque (ut ad rem redeam, & generatim de interpretatione loquar, eadem namque apud eos, quam apud nos est) tota res in eo versetur, ut sententia quæ in obscuro est, per abditos tramites, quos Conjecturas dicimus, assequatur; jam in illud incumbendum, ut hi tramites pateant, & ratio qua eos invenire liceat. Conjecturæ aut ex *Materia*, aut *Effectu*, aut *Conjunctis* promuntur. Et Materia quidem est res ipsa ad voluntatem relate: quo pertinet *Ratio legis* h. e. Voluntas legislatoris. Effectus sunt qui ab ipsa materia promanant, & qui caussis respondeant oportet. Denique Conjuncta sunt, quæ ex eadem Voluntate proficiscuntur, etiamsi alio in loco. Conjecturis jam arcessitis, oportet summo ingenio, atque critice eas perpendere, conferre, ut saltem qualis qualis scripti sensus eluceat: ea nempe advocanda Logices pars, quæ de

Ratiocinatione est: Rem omnem Tullius in Q. Scævola declarat: *Sic enim existimo juris Civilis magnum usum & apud Scaevolam, & apud multos fuisse, artem in hoc uno; quod nunquam effecisset ipsius juris Scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera & falsa judicarentur, & quae quibus positis essent, quaeque non essent consequentia* (1).

At quo pacto Conjecturas invenire liceat, id nullis potest regulis definiri. Industria Interpretis rem totam conficit: sicut apud Analystas, qui in resolvendis problematibus in eo incumbunt, ut viam potius hanc, vel illam, illaque media adhibeant potius, quæ nonnisi, ut videre videor, ex principiis metaphysicis innotescere nobis

(1) *In Brut. c. 41.*

bis possunt : & fortasse innotescunt viæ istæ cum tota quæstionis series unico sub intutu nobis repræsentatur: tunc enim cum totam rei ipsius seriem, potestatemque perspexeris, etiam via unde ea exoriri posset, innotescet. Viæ autem certæ, & determinatæ sunt, quia a communibus Axiomatibus, vel a Scientiæ principiis profluunt : delectus autem ad metam perducet. Magnum Eulerum ab infimo Analysta non distingues, nisi Eulerum in proposita quæstione, modos illos, seu ut vocant, analytica artificia, potius elegerit, quæ cæteroquin & hujusmodi Analystæ cognoscebantur. Uno vel altero juris loco, qui lucem adhuc non vidit, Interpretationis artificia declarabo.

Emptionem, Venditionem e Contractibus esse, qui consensu perficiuntur, exploratum est. Periculum igitur statim ac de merce & pretio convenit, ad emptorem pertinet, *tot. tit. de per. & com. rei vend.* Huic autem juris regulæ obstat gravissime Africanus in *L. si fundus 36. ff. locati*, in qua operam lu-

fere Ja. Cujacius, Ant. Faber. Ita Cujacius (1) accipiendam eam regulam putat, ut emptori res pereat, non tamen pretium; ut scilicet haud consequatur si quid fortasse in re sit plus quam in pretio, pretium vero vel repetat, vel non solutum non solvat. At quid ineptius Cujaciano isto! Si periculum, quod omnem quoque rei interitum comprehendit, dominium sequitur, & res chasmate periit, emptor & rem, quia sibi periit, & pretium, quod jam venditori quæsitum est, amittit. Et frustra ad rem laudat *L. lectos* 12. *ff. de peric. & com. rei ven.* ubi de lectis agitur quos Ædilis, cum in via publica essent positi, coscíderit; de re nempe quæ ex lata venditoris culpa, ante traditionem periit, *L.* 23. *ff. de R. J.* *L.* 5. §. 2. *ff. commodati.*

Integrum Africani locum consideranti patet, JCtum speciem venditionis cum altera locationis conferre: patet quoque in locatione duos casus facere; alter quo locator e fundo ejectus

(1) *Ad Afric. Tract. VIII.*

ctus fit ab eo a quo conductor prohibere poterat ne id fieret; alter ab eo a quo nullo modo poterat : & scribit in prima specie conductorem locatori teneri ad id quod interest ; in altera ad remissionem mercedis. Cum itaque Africanus speciem de emptione ei de locatione comparet, particula *similiter*; quia in locatione duos casus fecit, in quorum altero id quod interesset , in altero id quod conventum; in emptione quoque duos fecisse oportebit : postremum, de eo quod conventum est, expressit in specie publicationis re nondum tradita : Iccirco alter de eo quod interest, erit ponendus in publicatione traditione jam secuta. Hujus autem ea ratio est, quod re vitiosa vendita, venditor ad id quod interest tenetur (1), veluti qui fundum publicationem subiturum vendiderit , etsi in fraudem Fisci id facere quoque putetur . Differentia vero in eo fortasse est , quod traditus vel ne fuerit fundus : nam si traditus , multum intererit

 em-

(1) *Tot. tit. de Ædil. Edicto.*

emptori eo spoliari; si minus, nihil præter pretium.

Imp. Diocl. & Max. in *L. post aditam* 5. *C. de imp. & aliis subst.* ita rescribunt: *Post aditam hereditatem directae substitutiones non impuberibus filiis factae, expirare solent.* Quod ita perstringunt Salycetus & Alexander, eosque secutus Vivianus. *Per aditionem hereditatis extinguitur vulgaris substitutio.* Salycetum, Alexandrum, Vivianum, sequuntur (quod mirum) recentiores omnes Interpretes, inter quos Ja. Gothofredus & Cujacius. Veteres illi putarunt de vulgari substitutione loquutos Imp., quod tam falsum est, quam quod falsissimum. Et primo, si de vulgari agitur quid aliud in eo rescripto statuunt, quam in vulgari substitutione, adita hereditate in primo gradu, cæteros evanescere: quod cui non notum? Id namque ex ipsa substitutionis definitione fluit, nec ulla esse poterat dubitatio, cur Imp. essent adeundi. Sed hæc etsi non levis, conjectura tamen est: veniamus igitur ad argumenta. Si *directae* sub-

sti-

ſtitutiones de quibus Imp. vulgares ſunt, jam erunt & *indirectae* vel *fidei-commiſſariae*: utriuſque formulas inveniamus: Vulgaris ſubſtitutionis ea eſt: *Titius heres eſto: Si Titius heres non erit, Maevius heres eſto*. Hæc directa: Indirecta vero: *Rogo Maevium ut ad hereditatem meam veniat*. Hæc a priori nil diſtat: nam ſi tempora diſtinguas, aut nuda erit inſtitutio; aut inſtitutio & ſubſtitutio eadem ac prior. Veteri namque jure certæ ſollemneſque erant formulæ, quibus ſcribi heredem decebat: Apud Ulpianum *Frag. Tit. XXI*, *& L.* 1. §. 3. *ff. de her. inſt. L. his verbis* 48. *eod.* formulæ hæ ſunt: *Heres eſto*; vel *ſit*: *heredem eſſe jubeo*: *hereditatis meae dominus eſto*. Nimiam iſtam, & miſeram Veterum obſervationem ſuſtulit Conſtantinus, & in *L. quoniam* 15. *C. de teſt.* quibuſvis verbis inſtitui heredem permiſit, dum tamen voluntatis intentio liqueret. Ut igitur ad rem veniam: aut Diocl. & Max. tempore jus vetus vigebat, aut recepto more nova Conſtantini Conſtitutio locum haberet: ideoque
aut

aut vulgaris illa indirecta substitutio sola fuit institutio ; aut institutio & substitutio a vulgari directa non distans. Nulla itaque erit *Vulgaris indirecta*. Videamus an per fideicommissum possit explicari: *Titius heres esto: si Titius heres non erit, eundem rogo, ut hereditatem meam restituat Sempronio*; at quid isto absurdius ? quo pacto Titius qui heres non fuit, hereditatem contrectabit ? Sequitur *non impuberibus* pro *puberibus* : hoc indicio est Imp. ad impubertatem respexisse. Tandem : *expirare solent*. Tò *solent* momentosum est, & facit ut corruat Interpretum opinio; nam cur substitutio vulgaris, adita hereditate in primo gradu, *soleat*, & non *debeat* expirare : nunquam talem casum in Libris Juris invenies, qui naturæ substitutionis ex juris principiis adversatur.

Directae substitutiones apud Imper. neque vulgarem, neque pupillarem significant, sed tertiam quamdam, quam vulgus Interpretum improprio admodum a Substituente *militarem* appellat, sed quam magis proprio vocabulo *vulga-*

garem secundariam dicerem. Ea est institutio secundi heredis, cum primus heres hereditatem adiit, eamque testatoris voluntate deserit. Formula directa est. *Filius meus heres esto: si filius meus intra tricesimum aetatis annum decesserit, Maevius heres esto.* Indirecta vero: *Rogo filium meum, ut cum moriatur hereditatem restituat Maevio.* Prima juris principiis adversatur; nam heres ad tempus haberi nequit: Altera minime; nam quod directe & imperative nequit, per fideicommissum potest. Nunc intelligis τὸ *solent*: Casus quo non expirant, est casus testamenti militaris; idque luculentissime evincunt duo Pandect. loca, Ulpiani unum in *L. Milites* 4. *de milit. test.*, & Papiniani in *L. Centurio* 15. *de vulg.* Ajunt igitur Imp. post aditam hereditatem (improprie *aditam* ut in *L.* 3. *C. de jur. delib.*) hujusmodi substitutiones solere expirare: igitur a contrario sensu, non adita hereditate non expirant: Facit huc conjectura voluntatis (1). Senten-

(1) *arg. L. jam hoc jure* 4. *ff. de vulg.*

tentia itaque Rescripti fuit. Quæsierat Hadriana: Si testator filio post decimum quartum annum ita substituerit, ut hereditatem quam acciperet, alio restitueret; adita a filio hereditate, num is cogi possit ad restituendum: Et rescriptum ab Imperat. *solere cogi*; & cogi scilicet cum testator miles fuerit: non cogi cum paganus.

Sicut Interpretatio ex pluribus undique collectis consurgit, ita ex pluribus regulis ex ipso jure quod est, Systema juris constet oportet. Et Ciceronem in animo habuisse Systema conficere, immo librum de eo edidisse, testis est Gellius (1); idem tentavit Pompejus: deinde Cæsari maxime curæ fuit (2). Fortasse id longe ante perfecerat Scævola, ut ex Pomponio (3). Illud certum est ad hoc maxime desiderari artem, quæ a rebus vim exprimat, & divulsas, dissolutasque conglutinet, atque constringat. Quare abun-

(1) *L.* 1. *c.* 2.
(2) *Suet. in Caes. cap.* 44.
(3) *L.* 2. *ff. de O. J.*

abunde jam patet fundamentum Dialecticæ legalis, de qua præter cæteros videndi Clericus (1) & Hoffmannus (2).
Et jam præcipuas Eruditorum pro Stoicis expendi sententias: eas refutavi: leviores prætermisi. Desinant itaque voces de *aemulatione* inter Philosophos, & JCtos: Ulpianum enim in *L.* 1. §. 1. *de J. & J.* ad pestem illam hominum pseudo-Cynicorum, quæ tunc temporis Romæ grassabatur, respexisse, indubium est. Stoicorum finem supra attigi (3): eo paullatim succrescente, factum est, ut non Athenis modo, sed & Romæ ab Ciceronis usque ætate quædam virtutis larvæ evulgarentur. Hi vel tunica, vel ferarum pellibus coperti, promissa barba, nudis pedibus voluptates calcabant: Propudiosam tamen vitam ducebant: hinc pueris erant ludibrio, & mulieres publicato corpore eis illudebant: de his vide Satyricos Horatium, Perseum, Auso-

(1) *Biblioth. choif. to. IV. p.* 141.
(2) *Progr. de Dial. vet. JCtorum.*
(3) *pag.* 89, 90.

Ausonium; nec non Lucianum. Illud porro confirmant depravata tempora quibus floruit Ulpianus sub Heliogabalo, & Alexandro Severo; cum eo impudentiæ perventum, ut ipsi Imp. maledicerent (1). Nullas præterea fuisse Romæ Scholas supra demonstravi. Itaque reliquum est ex ipsis Jctorum libris, & ex Gentis Romanæ moribus, horum Philosophiam eruere.

CAP.

(1) *Suet. in Vesp. c. XV. Dio L. LXVI.*

CAPUT IV.

Romanorum JCti antiquissimam communem Sapientiam secuti sunt. Ulpianus in L. 10. §. 2. ff. de J. & J. *explicatur.*

CIvitatum instituta additamenta esse juris naturalis, sicut civilis vir auctarium est juxta Naturam viventium, supra innui *p.* 2. Et diserte Ulpianus: *Jus civile* (i. e. Romanum) *est quod neque in totum a naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei servit* (1). Et illud quidem in quo juri naturali consonat, *juris philosophia* dici poterit: cætera ad *Voluntatem* pertinent.

Homo in hoc theatro constitutus, primum quærit unde originem traxerit: & quoniam non ex se existere cognoscit, aliam perspicit existendi caussam, quam *Deum* nuncupamus. Hunc itaque Universi factorem demiratur; ideoque in illius natura legem æternam insitam vidit, cujus ipse sibi fuit auctor,

(1) *L.* 6. *de J. & J.*

auctor, & cui ex infinita perfectione pareat necesse est: ex qua profluunt quæ sapientissime ipse molitur in rebus creandis; & ex qua promanant leges illæ, quæ ex peculiaribus naturis proveniunt, quasque servare, est voluntati Creatoris obtemperare. Hinc sequitur eum nobis colendum, de eoque recte sentiendum, nostrasque actiones ad ejus voluntatem componendas: Hinc *Religio*, & *Pietas*.

Porro cum Natura hominem, deinde res cæteras in ejus usum creasset: eum conservari voluit: cæteris vero rebus ita uti, ut ad ejus conservationem vertantur. Quare cum summum bonum h. e. summam felicitatem vi animis insita appetamus; cæteris rebus tanquam mediis utamur oportet, sed quantum ad conservationem nostram pertineat: Quapropter æque animus excolendus & perficiendus, sed ne corpori officiatur, & corporis sanitati studendum, sed ne animus obrutescat.

Præterea cum homo hominem ex eadem caussa factum, nulla secum dependentia, agnoscat, fit ut nullo

mo-

modo ejus jura possit imminuere, ullove modo lædere: quod si damnum intulerit, sarciendum: Et hoc ad societatem omnino necessarium.

Hæc præcepta quæ a recta Ratione immediate fluunt, Ulpianus in *L.* 10. §. 1. *de J. & J.* exscripsit: *Honeste vivere: Alterum non laedere: Suum cuique tribuere.* Et Romani Deorum religione ad superstitionem floruerunt: Temperantiam, Justitiam, non domi, sed in bello, quam fortissime ministrarunt. Hæc ipsa dein per rivulos in Libris juris traduxere, quæ ab antiquissimis Mundi Populis, immo in ipsis Sacris Libris fuerant stabilita: *Deum colito: Parentes honorato: Ne occidas: Ne adulterium committas: Ne furtum facias: Ne falsum testimonium dixeris.* Hæc Divini Spiritus effata, quæ in Deuterenomii, Exodi, Geneseos libris invenimus, quæque omnino præclaris Draconis, Charondæ, Zaleuci, & Ægyptiorum legibus conveniunt, illis XII. Romanorum tabulis, immo Jctorum & Impp. sententiis consonant omnino. Quare si hic colligamus quæ hactenus de mo-

ribus Pop. Romani, & adversus Stoicam disputavi, quæque ex Prudentum fragmentis erui possunt, jam confecisse videor Jctorum Philosophiam in primævis Naturæ dictatis, apud gentes peræque custoditis, unice constitisse.

Ad Ulpianum properemus. Dupliciter eum accipi in *L.* 10. §. 2. *ff. de J. & J.* Jurisprudentiam definientem: *Divinarum, & humanarum rerum notitiam; justi, atque injusti Scientiam*, supra innui. Quidam putant veteres Consultos in Divinis, humanisque rebus pares fuisse, & edocuisse quibus hostiis, quibus diebus, quo ritu, ad quæ templa sacra facienda essent, quæ sepulchrorum jura, quæ funebria (1): Ita quidem, ut si Ulpianum ad eorum mentem accomodemus, id valeret: *Justi, atque injusti Scientia circa res divinas, & humanas*. Moventur ex Veterum testimoniis de aliquot claris viris, qui in utroque excelluere: Sic de Scævola Valerius Max. *Cum bene, ac diu jura civium, & caeremonias Deorum* or-

(1) *Briss. Select. Antiq. L. IV. c.* 16.

ordinasset (1): Et alibi Titum Manlium Torquatum, *Juris civilis*, & *sacrorum Pontificialium peritissimum* laudat (2) & idem Attejo Capitoni a Tacito (3) tribuitur; ut alios præteream Servium Sulpicium, Trebatium Testam, Coccejum Nervam, Massurium Sabinum, ut ex Veteribus patet. At obstat ipsius rei ratio, obstat universa historia, ex qua habemus, jus de rebus sacris dicere, easque ordinare, ad Pontifices, iisque qui præerat, Pontificem Max. pertinuisse. Et sane Q. Scævolam Augurem laudat Tullius (4): Titum Manlium Pontificatum Max. petiisse, ex Livio constat (5): ceteros Servium Sulpicium, Trebatium, Capitonem, Nervam, principem in Civitate locum studiis civilibus adsecutos: ideoque nil mirum si sacrorum quoque jura tenuissent: maxime cum

 e pa-

(1) *L. VIII. c.* 8. *n.* 2.
(2) *L. V. c.* 8. *n.* 3.
(3) *Annal. L. III. c.* 70, & *L. VI. c.* 26.
(4) *In Laelio pr.*
(5) *Dec. III. L. V. c.* 5.

e patriciis Pontifices, ceterique Sacerdotes desumerentur: quibus tamen nihil cum Jctis erat commune; quare fere nulla de *Sacris* in Digestis mentio. Sed fingamus paullisper Ulpianum ad *Sacra* respexisse: illud certum est, eatenus respexisse, ut *Justum* quæri possit. At ea lacinia non erat opus; cum bene omnia sub *justi, atque injusti Scientia* complecterentur: homines enim in divinis quatenus in iis humanum est judicant.

Alii in ea sunt sententia (quæ etsi alia de caussa, a priori tamen parum abludit) primam Ulpianeæ definitionis partem integram complecti definitionem Philosophiæ; quæ Ciceroni, (1) & Senecæ (2) dicitur: *Divinorum, & humanorum Scientia*; eamque Jctos a Stoicis fuisse suffuratos: alteram vero complecti quod proprium jurisprudentiæ sit: Ita nempe, ut sicut Philosophi in Divinis, humanisque rebus *verum*, ita Jcti *justum* quærant. At quis non videt verba *Divinarum &c.*, ut

(1) *L. I. de Off.* 43.
(2) *Ep.* 88, & 89.

ut in priori, prorſus ociari? Porro cum Philoſophi in rerum naturas prius inquirant, cumque humana omnia in juris quæſtiones adduci poſſint; ita et omnium Scientia Jcto eſſet comparanda. Quod cum a nobis abſonum fuerit demonſtratum p. 14: falſiſſimum vero illud de invidia, atque æmulatione inter Prudentes, & Philoſophos, p. 141, jam tota corruit horum Opinio. Idcirco altera ex verbis *Notitia*, γνῶσιν, & *Scientia*, ἐπιστήμην, tentanda nobis eſt.

Hominem exiſtere interna conſcientia convincimur. Animi facultates, potentiæ de ejus exiſtentia, & natura perſuadent. Res externas contemplamur, quæ adſpectabilem hanc Mundi machinam conſtituunt, eaſque nobis ſubjectas conſpicimus, earumque ſtupendum ordinem, harmoniamque demiramur. Ex his evincitur primum omnium Factorem exiſtere, qui a ſe ipſo eſſe debuit a tota æternitate; qui nulla re indigeat, ideoque neque ſpatium occupet, ſed in ſe ipſo ſubſiſtat: Operabitur quidem in ſpatio infinito, ſed ſpatio non erit circumſcriptus. Sapientiam, Omnipotentiam, innume-

raſ-

e patriciis Pontifices, ceterique Sacerdotes desumerentur: quibus tamen nihil cum Jctis erat commune; quare fere nulla de *Sacris* in Digestis mentio. Sed fingamus paullisper Ulpianum ad *Sacra* respexisse: illud certum est, eatenus respexisse, ut *Justum* quæri possit. At ea lacinia non erat opus; cum bene omnia sub *justi*, *atque injusti Scientia* complecterentur: homines enim in divinis quatenus in iis humanum est judicant.

Alii in ea sunt sententia (quæ etsi alia de caussa, a priori tamen parum abludit) primam Ulpianeæ definitionis partem integram complecti definitionem Philosophiæ; quæ Ciceroni, (1) & Senecæ (2) dicitur: *Divinorum, & humanorum Scientia*; eamque Jctos a Stoicis fuisse suffuratos: alteram vero complecti quod proprium jurisprudentiæ sit: Ita nempe, ut sicut Philosophi in Divinis, humanisque rebus *verum*, ita Jcti *justum* quærant. At quis non videt verba *Divinarum &c.*, ut

(1) *L. I. de Off.* 43.
(2) *Ep.* 88, *&* 89.

ut in priori , prorsus ociari ? Porro cum Philosophi in rerum naturas prius inquirant , cumque humana omnia in juris quæstiones adduci possint ; ita et omnium Scientia Jcto esset comparanda . Quod cum a nobis absolutum fuerit demonstratum p. 14 : falsissimum vero illud de invidia , atque æmulatione inter Prudentes, & Philosophos ; p.141 , jam tota corruit horum Opinio. Idcirco altera ex verbis *Notitia* , γνῶσιν , & *Scientia* , ἐπιστήμην , tentanda nobis est.

Hominem existere interna conscientia convincimur. Animi facultates , potentiæ de ejus existentia , & natura persuadent . Res externas contemplamur , quæ adspectabilem hanc Mundi machinam constituunt , easque nobis subjectas conspicimus , earumque stupendum ordinem , harmoniamque demiramur . Ex his evincitur primum omnium Factorem existere ; qui a se ipso esse debuit a tota æternitate ; qui nulla re indigeat , ideoque neque spatium occupet , sed in se ipso subsistat: Operabitur quidem in spatio infinito, sed spatio non erit circumscriptus . Sapientiam , Omnipotentiam , innume-

ras-

rasque alias proprietates infinitas habebit, quia substantiis pluribus intelligentibus, nullo præeunte subjecto, existentiam dedit. Itaque omnis in hac rerum Universitate substantia duplex erit, alia perfectior, & magis simplex, quæ dicitur *Spiritualis*, altera imperfectior, quæ dicitur *Extensa*. Spirituum vero duplex erit genus, primum æternum, infinitum, & unicum, quod *Deus* est; alterum vero creatum, finitum, & multiplex, ut sunt hominum Mentes. Itaque missa ea Scientia, quæ de Deo agit, lumine fidei præeunte, si ratione tantum, eorumque principiorum ope, quæ nobis a natura sunt indita, primum istud Ens contemplemur, ejusque attributa scrutemur, consurget *Theologia Naturalis*. Si humanum Animum, ejus naturam, modificationes, nempe Mentem, Rationem, ideas, earumque omnium æternitatem scrutemur, *Psychelogia* consurget. Si de principiis, ordine, & fine, deque Legibus Homini, totique rerum Universitati inditis; disputationem ineamus, *Cosmologiam* efficiemus. Atque omnis hæc Philo-

so-

ſophia, utpote quæ de primariis Entibus, eorumque eſſentiis agit, *Divina* vero ſenſu dicitur. Ex prima hac promanat, tanquam per ſurculum altera quæ de Animi perturbationibus, earumque remediis, de Virtutibus, atque inde profluentibus vitæ officiis agit: quæ ſi Deum reſpiciat, *Moralis Theologia* dicitur: ſi officia erga nos, atque alios homines, *Moralis naturalis* vocabitur. Ex hac immediate deſcendit diſputatio de Virtute, de Juſtitia, quæ nempe a principiis illis profluunt; atque hæc *Philoſophiam Humanam* conſtituunt. Ex his denique loco conſectarii deſcendit Scientia de Republica h. e. de principiis quibus homo eſt regendus ut in Societate poſſit ſervari; tota denique Legum compages, quæ vel ipſam Univerſitatem tantum, vel peculiare cujuſque jus reſpicit; ideoque vel ad Politicam, vel ad privatum jus pertinent.

Contrahamus modo vela. Scientia quæ de Deo, de Animo humano, ejus mente, ratione, legibus, ad ipſam rationem perficiendam, confirmandamque, *Divina Philoſophia* appellatur: ex ea, ve-

veluti ex fonte rivus, promanat Scientia quæ de Animi affectionibus, earumque remediis; de Virtutibus, atque exinde profluentibus vitæ officiis agit: eaque sub *Humana Philosophia* comprehenduntur. Ex hac postrema tandem defluit Scientia de *Republica*, de *Legibus*, quæ omnem Civilem Sapientiam complectuntur.

Ulpianus itaque Jurisprudentiam definiturus, eam in penitiori origine, purissimis nempe illis Naturæ dictatis, contemplatus, ita potius descripsit, quam definivit: *Notitia Philosophiae Divinae, & humanae: Scientia de justo, & injusto*. Adhibuit quidem vocem *notitiam*, ut præmonstraret *Divinam, humanamque Philosophiam* eo usque in humana Nomothesia contineri, quatenus istius fons, & origo existat: *Scientia vero justi, & injusti*, quia de hac omnino agit, versaturque. Itaque optima Civilis Nomothesia erit: *Universae Philosophiae notitia, ad justum, injustumve dignoscendum unice comparata*.

F I N I S.